3003

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE

FLUMINIBUS

IN GENERE,
ILLORUMQ; JURIBUS,
QUAM
DEO TER OPT. MAX. CLEMENTER SUBSIDIANTE,
DECRETO ET AUTORITATE
AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS,
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA,
PRÆSIDE
VIRO SPECTATISSIMO ATQ; CONSULTISSIMO
DN. PETRO STEPHANI J. U. D.
ET PROFESSORE CODICIS ORDINARIO,
CONSISTORII REGII ASSESSORE, ET FACULTATIS IURIDICÆ h. t. PRO-DECANO, DN. FAUTORE AC PROMOTORE SUO IMPENSE HONORANDO,
Pro Summis in Utroque Jure HONORIBUS, immunitatibus ac Privilegiis DOCTORALIBUS adipiſcendis,
Publicæ Eruditorum cenſuræ ſubjiciet
EITELIUS DIETERICUS von Zeſterfleth/
Hornburgo-Bremenſis,
in Hyperoo Curiæ Urbanæ ad diem 10 Menſis Martii,
horis conſvetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Gryphiswald. Typis Jacobi Jegeri Acad. Typographi
Anno partus Salutiferi M. DC. LIV. excuſa.

CUM non ſpecioſa dictu; ſed uſu neceſſaria cumprimis ſint ſeqvenda tradendaq́;, haud abs re monente ita Dario apud Curtium l. 5. c. 1. *non minus autem cognitu jucunda & neceſſaria, qvàm uſu proficua ac conducibilis ſit materia de* Fluminibus; *utpote de qvibus ſæpenumerò immane qvantum! decertatur, & acerrimæ tantumq́; non infinitæ inter vicinos, præſertim Summates, exoriuntur Controverſiæ; tantoperè qvidem, ut non divina Themis & Aſtræa; ſed freqventiùs ſangvinaria illa ac furibunda Mavortis ſoror Bellona, gladiusq́; ultor iis dirimendis judices atqve arbitri arceſſantur: proinde haud me aranearum telas texturum, adeoq́; nec Lectori Benevolo dividiæ conſore reor; Si impræſentiarum hac de materia pro juveneſcentis ingenioli modulo nonnihil fuero commentatus; idq́; loco Diſputationis Inauguralis publicæ disqviſitionis incudi ſubmiſero. Qvod uti ſecundiore procedat æſtu, faxit Summus ille rerum Moderator & Arbiter, DOMINUS noſter JESUS CHRISTUS; cum Patre & Spiritu Sancto perpetim adorandus!*

POSITIO I.

Etymologia Fluminis, ejusq; origo.

FLUminis Etymon quod attinet, dicitur illud à fluendo; naſcitur quippè ex complurium fontium rivulorumq́; concurſu, jugiterq́; inter ripas ſuas decurrens tandem in ipſum diffunditur Oceanum, ſecundùm illud Plautinum *in Curcul. act. 1. Sc. 1. Qvonam fluvius, qvem non recipiat mare?* Enimverò hæc fluviorum omnium eſt proprietas, hæc natura, hæc indoles, ut mare ingrediantur omnes, *Syrac. c. 41.* illud autem concurſu neque augeatur neque minuatur, *Eccleſiaſt. 1. v. 7.* Id quod profectò perilluſtre, imò demirandum providentiæ Divinæ eſt argumentum. De unico Jordane diverſum memoriæ prodidit *Tacit. l. 5. hiſt. c. 6.* hiſce verbis: *Nec Jordanes pelago accipitur: Sed unum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas*

aquu volucres patitur, &c. Cæterum huic fidem derogat illud, quod legitur *Joſ. c. 3. v. 16.*

Homonymia. 2. Eſt verò vox Flumen æquivoca. (1.) enim accipitur *propriè* pro aqua continuè decurrente, *tot. tit. ff. h.* (2.) *Impropriè* ſeu *Metaphoricè*, aſt aliâ aliquâ voce adſcitâ, ut flumen ingenii, verborum, eloquentiæ, &c. (3.) *Juridicè* pro ſervitute prædii urbani, *l. 28. ff. de Servit. præ. urb. §. 1. Inſt. de Servit. ruſt. & urb. præd.* quâ videlicet aquam pluviam per tectum noſtrum in canalem collectam, cumq; impete & rigore profluentem in alienum, quod nobis ſervit, avertimus. Differt à ſervitute ſtillicidii, quòd hæc levior ſit; illa autem gravior, *l. 20. §. 4. & 5. ff. d. t. Conſultiſſ. Dn. Fransk. ibidem in Comment. num. 20. & ſeqq.*

3. Cæterum poſteriores illæ ſignificationes huic noſtro alienæ ſunt inſtituto: Sumimus enim hîc τὸ Flumen in proprio ac genuino

Definitio. ſuo ſignificatu, videlicet pro perenni aquarum decurſu. Atque hoc ſenſu Flumen eſt aqua copioſior ex plurium fontium rivulorumq; confluxu ſuborta, quæ jugi ſuo curſu in mare, vel alium aliquem fluvium, qui tandem in mare exit, ſeſe exonerat. Confer. *Bartholin. 4. Phyſ. 10. Dn. Sperling. Inſt. Phyſ. 4. c. 3. ad præcept. 2.*

4. Diſcernitur à rivo magnitudine, aut exiſtimatione circum-

Differentia colentium, *l. 1. §. 1. ff. h.* A lacu, quod hic perpetuam quidem habet aquam, at reſidem, i. e. profluvio ac decurſu carentem, *l. 1. §. 3. ut in flumin. publ. navig. lic.* A ſtagno, quia id temporalem continet aquam ibidem ſtagnantem, quæ quidem aqua plerumque hyeme cogitur, *l. 1. §. 4. d. t.* A foſſa, quoniam illa eſt receptaculum aquæ manufactum, *§. 5. eod.* Denique à fonte diſcriminatur, uti cauſatum à cauſa, ſeu: ut efficiens & effectus: Ex plurimorum enim fontium confluvio conficitur & quaſi generatur Flumen. Unde & fons dicitur, quod aquâ fundat, *Gothofr. ex Iſid. in not. ad L. un. ff. de font. lit. P.*

Diviſio. 5. Fluminum quædam ſunt perennia, quædam torrentia. Per-

1. Flumina ſunt perennia, vel ennia ſunt, quæ ſemper fluunt. Si tamen aliquâ æſtate exaruerit, quod alioquin perenne fluebat, non ideò minus perenne eſt, *l. 1. §. 2. ff. h.* Secus eſt, ſi Flumen prorſum, ut ita dicam, intermoriatur, velûti temporibus Cæſaris & Auguſti accidiſſe in Italia, ex Dione conſignavit *Everhard. à Weihe. de fæderib. c. 1. pag. 5.* Torrentia ſunt, quæ hye-

Torrentia. me plerumque manant, *d. l. 1. §. 2. h. t.* Torrentia igitur, quà torrentia

rentia flumina non ſunt, ſed amnes & rivi propriè appellitantur, *Donell. 4. Comment. 3. & ibi ejus enucleator Hilliger. lit. B.* Diſcrimen Fluminis ac torrentis affabrè ſubinnuit *Naſo lib. 1. de remed. amor.*

Flumine perpetuo torrens ſolet altiùs ire,
Sed tamen hæc ſubita eſt, illa perennis aqua.

6. Deinde diſpeſcuntur Flumina in *publica & privata, l. 1. §. 3. ff. h. Publica* quæ ſint, de eo multifaria inter Dd. ſententiarum ſunt divortia. Rectiſſimè omnium dicuntur publica, quæ perennia ſunt, & in dominio exiſtunt certi alicujus populi, vel ejus, qui jus populi habet, cujusvè terras præterfluunt, uſui tantùm publico relicta, *arg. l. 1. §. 3. l. 3. ff. h. t. §. 2. & 4. Inſt. de R. D. l. 2. §. 5. ff. Nequid in loc. publ. Add. Sutholt. ad Inſt. diſp. 4. aph. 15. claſſ Dn. Stypman. d. J. marit. p. 2. c. 5. n. 52.* Illud namque propriè ac ſpecificè loquendo infert τὸ publicum; cujus cæteroqui plurifarias acceptiones & ambiguitates belliſſimè enucleant *Donell. l. 4. c. 2. & 3. & Conſultiſſ. Dn. Hahn. Doctor meus ætatem colendus in Obſ. ad Weſenb. ff. de R. D. n. 3. ad Verb. publica ſunt.* Navigandi autem commoditas neutiquam eſt de ratione formali fluminum publicorum, ſiquidem publica eſſe poſſunt, etiamſi non ſint navigabilia, *l. 1. §. 12. & 18. ff. h. l. 1. §. 2. Nequid in flum. publ.* 2. Publica, vel

7. *Privata* ſunt quæ torrentia, & tam proprietate quàm uſu ſunt ſingulorum ſeu privatorum. Et ita etiam quæ ſunt Principis, non ut talis, ſed ut Theodoſii, Ferdinandi, &c. queunt dici privata, *vid. Hotom. q. ill. 1.* Cùm igitur hujusmodi flumina non ſemper, ceu perennia ac publica, ſed hyeme duntaxat fluant, ac ita, ſi proprietatem verbi ſpectes, haud ſint flumina; rarenter quoque privati publica habeant, eapropter approbè inquit Marcianus Jct. flumina penè omnia eſſe publica, *l. 4. §. 1. ff. de R. D. Donell. 4. c. 3. Bacchov. ad Treutl. Vol. 2. diſp. 20 th. 1. lit. G.* Nominantur autem publica tum *Activè*, tum *Paſſivè. Clariſſ. Dn. Loccen. d. J. marit. 1. c. 6. n. 2. Activè* reſpectu imperii ac dominii Principi aut libero populo in flumina competentis. *Paſſivè* ob liberum navigandi uſum in illis conceſſum, modò ita quis utatur, nequid aliis exinde damni detur, nec ſtatio iterve navigio deterius fiat, *l. 1. pr. & §. 12. ff. h.* Privata.

8. Tametſi verò flumen, quà flumen, quod niſi alveum mutet, jugiter in eodem manet loco, iisdemq; terminis includitur; publi-

cum ſit, ac ita naturaliter proprium populi, cujus intra fines delabitur, vel ejus, cujus in ditione eſt populus: nihilo ſeciùs aqua profluens, i. e. ipſa fluminis aqua, non quidem numero, cùm ſit alia atque alia; ſed ſpecie eadem cum ipſo flumine, *Ariſt. 3. Polit. 2.* Naturali Jure & Gentium communis eſt omnium hominum, nempè ad hauriendum, lavandum, aquandum pecora. &c. Quia non manet, ſed procul fluit extra ditionem ejus, cujus eſt flumen, ut ad mare tandem perveniat, *Vid. Pac in not. ad* §. 1. *Inſt. de R. D. lit. B.*

9. Naturaliter ergò Flumina publica, quà talia, ſunt populi, intra cujus territorium dimanant, aut illius, cujus ſub imperio eſt populus, *Grot. d. J. B. & P. 2. c. 2. §. 12.* Nam quæ primitus à populo ſunt occupata, neque poſtmodùm diſtributa, ea in dubio putanda ſunt propria eſſe populi, ſeu jus populi obtinentis, *Grot. d. tr. cap 8 §. 9.* In Imperio itaque Romano poſt Romulum flumina publica fuêre populi: At poſtquam L. Regiâ. poteſtatem ſuam in Principem transtulit, §. *6. Inſt. d. J. N. G. & C.* Flumina quoque publica, hisq; conſimilia facta ſunt Imperatorum. Ad Carolum verò Magnum, quod Germanos concernit, jus illud & imperium L. hâc Regiâ deferre haud quaquam potuit populus Romanus, ut cui nulla tùm poteſtas, nullumvè dominium in Germaniam competebat: Cùm Carolus antè partim armis majorum, partim propriâ virtute atque ſangvine eam ſibi ſubjeciſſet, ac jam per triginta tres & amplius annos in eadem rerum habenas mirificâ cum laude ac prudentiâ fuiſſet moderatus, *Sleidan. d. 4. S. I. l. 3. Conf. Annal. Francor ex bibl. Pithœi pag 16. & ſeq. p. 262. & ſeqq. Eruditiſ. Dn. Coring. d. Germ. Imp. c. 5, 6. & ſeqq. Dn. Limnæ. in prolegom. Capitul. Imperat. ſect. 8. n. 15. & in notat. ad prooem. Capitul. Caroli V. verb.* Römiſchen Reiches. *n. 12. & ſeqq.*

Fluminum proprietas quorum.

10. Primus autem Imperatorum Germanorum Flumina publica navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia baſilicis annumeraſſe jurib. ac majeſtati propria & reſervata voluiſſe videtur Imper. Fridericus Ænobarbus, ejus nominis I. heroici Vir ingenii, *cap. un. quæ ſint Regal. 2. F. 56.* Verùm enimverò quoniam hodiè Imperator jura Majeſtatis non ſolus habet, neque per ſe exercere poteſt ſine procerum aſſenſu, *Præclariſ. Dn. Limnæ. d. J. P. l. 1. c. 10. n. 28. & ſeqq.* Idcircò nec flumina publica navigabilia, aliave facientia navigabilia, deq; illis diſponendi poteſtatem ſolus ſibi hodiè vendicat; Sed univerſum

verſum ſimul imperium, aut ſaltem Electores Imperium univerſosq; ejus ordines & ſtatus repræſentantes, *Vid. Capitul. Ferdinandi III. art. 10. & 13. nec non Capit. Car. V. art. 18. juncto Inſtr. Pacis Cæſareo-Suec. art. 9. § territoriorum.*

11. Exteri quoque Reges, Principes & Reſpublicæ vel exiguæ, ut Epidaurus vulgò Raguſia in Albaniæ littore conſtructa, *Bodin. de Rep. 1. c. 2 & in meth. hiſt. c. 6. pag. m 160. Paſchal. d. Legat. c. 11.* neminem præter DEUM & enſem ſuperiorem recognoſcentes: Cùm Majeſtate quoque non ad ſimilitudinem ſupremæ poteſtatis, prout aurumar *Vultej. l. 1. Feud. c 5. n. 6. & 7. circa fin. & poſt hunc Clariſs. Dn. Reinking de R. S. & E. l. 1. cl. 3 c. 11 n. 16. & ſeqq.* Sed verè polleant atque refulgeant, *Job. Wurmſer. exercit. Acad. 3. q. 2.* Et proindè æquè ac Imperator, jure Regalium gaudeant atque utantur; quin Flumina publica terras ſuas inter vel præterlabentia rectè ſibi aſſerant; nullum omninò poteſt eſſe dubium.

12. Illi itaque, qui ſublimiorem agnoſcunt, nec ſummum Majeſtatis faſtigium inſident, Flumina etiamſi eorum interluant territorium, nullo ſibi jure arrogabunt; niſi vel conceſſione ſupereminentis ſingulari, vel præſcriptione tanti temporis, cujus initii non habetur memoria in contrarium, illa ſibi acquiſierint, *arg. eorum, quæ habet Sixtin de Regal. 1. c. 5. n. 138. & ſeqq. Mynſing. cent. 5. Obſ. 29. cent. 4. Obſ 24 cent. 1. Obſ 30* Ita in Imperio noſtro Romano-Germanico dominium, jus & jurisdictionem in flumina publica territoriorum dominos ſibi tribuere, experientia ubivis utramque faciens paginam abundè conteſtatur, *vid. Magnif. Dn. Mev. ad Jus Lubecenſ. l 3. tit. 4. art. 6. num. 11. & 12. Stypman. d. tr. p. 1. cap. 7. item* Gründtlicher Bericht von der Landes Fürſtlichen Ertz-Biſchofflichen/ Hoch und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen. *cap. ult.* In dubio autem Flumen, ſi duo diverſa dividit territoria, præſumitur commune uſque ad dimidium alvei, ni ex inveſtitura vel præſcriptione aliud fuerit inductum, aut in unius inveſtitura fluminis expreſſa facta ſit mentio, in alterius verò nihil de eo ſit expreſſum, *Gryphiand. d. Inſul. c. 17. n. 97. & ſeqq.*

13. Quanquam autem Regalia quippè Principis propria, conceſſionis videantur eſſe neſcia, habileq; præſcriptionis objectum haud reputentur, *Sutbold. diſp. 5. th. 13.* iis tamen ſusq; deq; habitis jura

hæc

hæc Majeſtatica cùm majora, ut vulgò diſpeſcunt, tùm minora imperii ſtatibus per infeudationem communicari tralatitium eſt, idq; jure perpetuo ac hereditario ſub qualitate der hohen Landes Obrigkeit. *Sutholt. de jurid. th 403. & ſeq. Dn. Reink. d. tr. l. 1. cl. 5. c. 6. per tot.* Quid, quod ipſe Fridericus Barbaroſſa, qui primus omnium Regalia ſummæ adſcripſit poteſtati, Guidoni Guerræ Comiti Hetruriæ inter cætera etiam Regalia conceſſit? *Carol. Sigon. d. Ital. l. 13.* Quin imò quoad præſcriptionem textus èſt expreſſus, in *c. Super quibusdam.* § *Præterea. X. de V. S.* Poſſunt autem hujusmodi jura, & ſic etiam flumina non inappoſitè dici Cæſaris & Imperii eſſe *eminenter*, *dependenter* verò ſtatuum ſingulorum, quibus illa vel ex inveſtitura, aut aliter legitimè fuêre acquiſita.

Ex dominio Principum in flumina diver ſa ſeſe exerunt jura, velut

14. Dominium autem illud apprimitùs exinde elucet, quod in Fluminibus publicis Princeps habeat jus perſequendi plectendiq; piratas, jus vectigalium, jus Stapulæ, jus Angariarum, jus Repreſſaliarum, & ſiqua ſunt conſimilia. De his uti fuſiùs aliquantò agamus, forſan operæ fuerit pretium.

1. Jus perſequendi piratas,

15. Quantum incommodi, quantum damni, quantumve detrimenti concilietur navigantibus, ſi piratæ hinc inde per flumina prædabundi graſſantur, eaq; infeſta & minùs minusq; tuta efficiunt, nemo eſt, quem prætereat. Ab his igitur ne quid detrimenti capiant naviculantes; Principis eſt, cujus ſunt flumina, eosdem perſequi, debitumq; de illis ſupplicium ſumendo ſecuram nautis viam undiquaque adaperire, arg. *l. 3. & 13. ff. de offic. præſid. Becht. de Secur. & Salv. conduct. concl 71.* Ac quamvis Cæſar adhuc privatus, prædones, à quibus captus fuerat contractâ claſſe tumultuariâ perſecutus ſit, & partem claſſis ipſorum fugaverit, partem merſerit; Cùmq; ProConſul Junius Aſiam tum gubernans, in prædones captos animadvertere negâſſet, ipſe incredibili revectus celeritate ad mare cunctos, quos ceperat, cruci affixerit, *Patercul. l. 2. p. m. 17.* Et adverſus latronem, ſi neqneant pro ſalute, pro ultione tamen ſuâ omnes ferrum ſtringere prolixè militibus ſuis demonſtraverit Mithridates apud *Juſtin. l. 38.* Atque ideò piratæ, ceu jûris gentium violatores, communesq; omnium hoſtes, *Cic. 3. Offic.* abs quovis, privato Marte ac authoritate invadi poſſe videantur, eò quod ſublatis commerciis rumpant fœdus generis humani, *Flor. l. 3. c. 6.* Attamen ſatius tutiusvè

eſt,

eſt navigaturos præſertim per flumina, publicis inſtrui mandatis ad piratas, ſi quos repererint, perſequendos, ut datâ occaſione uti poſſint, non quaſi auſu ſuopte, ſed ut publicè juſſi, ceu concinnè loquitur *ſtupendi ingenii Grot. d. tr. l. 2. c. 20* §. 14. Publicæ enim & neutiquam privatæ eſt poteſtatis perimere impios terræ, & operarios iniquitatis profligare, utpote quam idcircò DEUS ſui vindicem conſtituit, gladioq; armatam voluit, ut in facinoroſos illum evaginet.

16. Hac de cauſa neve promiſcuè alii pro aliis diripiantur, non cuilibet, ſed civitatibus plerumque ad flumina publica ſitis, tuendæ liberæ navigationis gratiâ, jus quà perſequendi quà puniendi piratas à ſuprema aſſolet poteſtate indulgeri. Sic omne in piratas & delinquentes in Albi imperium ab urbe uſque ad ipſius maris oras privilegio Caroli IV. ſibi datum gloriatur Hamburgum, Saxoniæ Inferioris hoc tempore Emporium longè florentiſſimum; idemq; poſtea privilegium Anno æræ Chriſtianæ 1468 ab Imper. Friderico III. adauctum fuiſſe aſſeverat *Limnæ. l. 7. c. 23. n. 9. & 10.* Atque hoc ſubnixi jure abhinc ducentos & amplius annos Hadeleriæ partem Septentrionalem, in qua ad Albis oſtium Ritzebutela viſitur, Inferioris Saxoniæ Ducibus Lauenburgicis extorſerunt, eò quod piraticam illic facientes foverent receptarentq;, *Vbbo Emm. Rer. Friſ. l. 2.* Cæterùm vicinos Principes & utriusque ripæ Albis accolas hujusmodi jus Hamburgenſibus non per omnia concedere, perſpicere licet ex iis, quæ hac de re leguntur apud *Chytræ. Chron. Sax. l. 19 ad An. 1556. & ſeqq.*

17. Verùm quid juris, ſi jus piratas perſequendi habens eos non perſequitur, ac ita & malo & damno velificantes ab iisdem mactantur, poteritne hic de damno à prædonibus conveniri? Certè ſi non fecerit, quæ jure gentium debet, nec adhibuerit, quæ potuit ad illos prohibendos adhibere, eum conveniri nihil æquius, nihil juſtius. Vid. R. A. *d. Anno 1559.* §. Damit dann die Obrigkeiten. Nam in cujus manu eſt, ut prohibeat, is jubet agi, ſi non prohibet admitti, *arg. l. 45. ff. ad L. Aquil. l. 2. ff. de Noxal. Act. l. 7. ff. Qui ſine manumiß. ad libert. perven.* Et hoc nomine olìm ab Amphictyonibus damnati fuère Scyrii, quod ſuorum quosdam piraticam factitare patiebantur, *Plutarch. in Cymon.* Unde Teucæ Illyriorum Reginæ frivola erat excuſatio, quando Romanorum Legatis piraticam ab Illyriis exercitam impoſterum inhiberi flagitantibus reſpondebat, non à ſe, ſed ſubditis

 pirati-

piraticam exerceri, *Polyb. l. 2. in pr.* Neque enim prohibebat, cùm poſſet, *Grot. de J. B. & P. 2. c. 19. §. 20. & c. 21. §. 2.*

18. Pœna prædonum raptorum latronumq;, quibus piratæ æquiparantur *l. 3. §. 2. ff. de incend. ruin.* non in Imperio duntaxat Romano, ſed etiam alibi ultimum eſt ſupplicium, *Conſt. Crim. Caroli V. art. 126. ubi in notis Clariſſ. hujus Academiæ Anteceſſor Matth. Stephani.* Addit & hoc obſervantia hodierna & recepta, uti cadavera factâ executione in terrorem & exemplum aliorum affigantur rotæ, *Dn. Carpzov. Doctor meus impensè honorandus pract. crim. p. 2. q. 90. n. 12.* Sic Anno 1590. Bremenſes 34. piratas navibus ſuis interceptos capite multaverunt, referente *Dilich. in Chron. Brem ſub ann. 1590. de quo tamen Conf.* Gründlicher Bericht von der Landes Fürſtlichen Hoch und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen. *Cap. ult.* Simile capitis ſupplicium apud Hamburgenſes luerunt duo illi famigeratiſſimi piratæ Stortebecker und Gödke Michäl anno 1402. teſte *Ubbone Emm. d. tr. rer. Friſ. l. 17.*

19. Res à piratis recuperatæ non cedunt recuperanti; ſed genuinis verisq; ſuis dominis ſunt redhibendæ; quia captæ à prædonibus nunquam verè in eorum tranſiêre dominium, adeòq; ubicunque reperiuntur, vindicari poterunt, *arg. l. 27. ff. de Captiv.* quemadmodum nec qui à latronibus captus eſt, ſervus latronum eſt, *l. 19. §. 2. & 24. ff. eod.* Naturali tamen juri conveniens, ut ei, qui ſuo rem ſumptu indeptus eſt, tantum rependatur, quantum dominus ipſe ad illam recuperandam libenter fuiſſet impenſurus, *Grot. d. tr. l. 3. cap. 9. n. 16. Autor Juris inter gent. p. 2. ſect. 7. q. 15.*

20. Cùm igitur Principes tantum exantlent laboris, tantumq; ſuſtineant oneris, quando, ut cum Poëta loquar, æquora ſulcantes, quoad equidem ejus confieri poteſt, contra damnigerulos piratas ab omni jactura tutos præſtare ipſis incumbit; utq; & hoc emolumenti illis haud erit invidendum, ſi pro ſalute ac incolumitate Reipubl. jus erigendi Vectigalia viciſſim ſibi uſurpant. Quàm enim neceſſaria Politiæ ſint Vectigalia, neutiquam Romanos fugit Senatores, dum Neronis Vectigalia omittere ſtatuentis, idq; pulcherrimum donum generi mortalium dare volentis impetum, manibus pedibusq; obnixiſſimè conando, attinuere, diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpubl. ſuſtineretur, deminuerentur, quippè ſublatis portoriis.

2. Ius Vectigalium.

riis, ſequens, ut tributorum abolitio expoſtularetur, *Graphicè Tacitus ut omnia 13. Annal. c. 50. Conf. Nov. 149. c. 2. Arumæ. ad A. B. diſc. Acad. 5. th. 7.* Næ idem hodie etiam Regibus & Principibus non paucis eveniret, ſi Vectigalium proventu deſtituerentur, *Wendelin. in inſt. pol. l. 2. c. 24. th. 22. expl. 1.* Hacpropter tota propè Reipublicæ ſalus in iis ſita videtur Clapmario *de Arcan. Rerump. l. 5. c. 12.* Verùm enimverò de Vectigalibus haud minuendis non eſt quod addatur calcar, quando ſeculi noſtri genium de exaugendis iis magis, quàm attenuandis allaborare, quotidianis uſurpamus oculis. Sed ne Diſputatio hæc in immenſum excreſcat volumen, de illis velut juſto prolixioribus vaſtum diſſerendi campum patefacere mihi jam nunc neque animus neque otium, maximè cùm aliorum de illis eruditi extent Tractatus.

21. Vectigalia autem non parùm promovet Jus Stapulæ: quò enim plures alicubi convehuntur merces, eò uberius inde percipitur Vectigal. Cæterùm τὸ Stapula unde ſic appelletur, non una omnium eſt ſententia. Vid. *de Jure Publ. optimè meritus JConſ. Limnæ. in Annot. ad Capitul. Glorioſisſimi Imp. Ferdinand. III. art. 20. ad Verb.* Stapel Gerechtigkeit. *n. 1. & ſeq.* Mea *cum dict. Dn. Limnæ.* fert opinio, non aliunde illud ita nominari, quàm à Germanico Stapeln / quod Latinis eſt coacervare, accumulare, & velut in gradus erigere, Waaren oder andere Dinge auff hauffen / zuſammen legen und einen Stapel oder Hauffen darauß machen. Huc reſpexit dubio procul *Crantz dum Vandal. l. 8. c. 37.* de Brugenſibus in Flandria hunc in modum ſcriptitat: *Et in antiquum ſtatum redit emporium, nunc Stapulam, vocant, mutuato de Germanica Lingua, ut in aliis quoque ſæpè fit nationibus, vocabulo.* 3. Ius Stapulæ.

22. Jus ergò Stapulæ eſt poteſtas ſingulari Superioris beneficio certis aliquibus civitatibus indulta, cujus vigore mercibus quaſi manũ poſſunt injicere, easq; in ſuo foro exponendas reſtringere. Germ. Die Staffel / vel rectiùs Stapel Gerechtigkeit / oder freye Niederlage.

23. Poteſtas itaque dilargiendi Stapulam eſt illorum, qui ſupremam in Republ. rerum inſident orcheſtram, *arg. l. 1. ff. de Nund. l. un. c. eod.* In Imperio Romano licet Majeſtas variis circumſcripta ſit limitibus; attamen jus Stapulam erigendi ſolus indulget Imperator, *Brautl. Epit. Jurupr. publ. l. 6. c. 6. n. 5. Lampad. de Rep. Romano-Germ. p. 3. c. 14. n. 2.*

24. Idem

24. Idem Stapulæ jus ſuis in regnis permittere queunt cæteri quoque Reges & Reſp. *Beſold. in Theſaur. Pract. Verb.* Staffel Gerechtigkeit / *per ea, quæ dicta ſunt ſuprà th. 11.* Sic de Uladislao Bohemiæ Rege perhibet *Chytr. d. Chr. l. 6. ad fin. anni 1511.* Quod emporii veteris jura Uratislaviæ renovaverit, nequis Polonus aut Germanus negotiandi causâ Uratislaviam præteriret; ſed utraque Gens Uratislaviæ merces ſuas deponere ac divendere cogeretur. Inſuper acquiri poteſt antiquâ conſvetudine ac præſcriptione temporis, cujus memoria non extat. Apprimè ſi per proteſtationem & interpellationem legitimam aut contrariam obſervantiam haud ſit interruptum, *Loccen. d. tr. lib. 1. c. ult. n. 8.* Tali privilegio à multis retrò Imperatoribus confirmato fruitur Lipſia, cujus tenore intra 15. ab urbe miliaria à nemine hujusmodi jus exerceri poteſt, *Heidenreich. Chronic. Lipſ. pag. 51. & ſeqq.* Quod cùm pronuper Anno, ni fallor, 1651. me tum Studiorum gratiâ ibidem commorante, finitimi Hallenſes labefactare atq; evertere conniterentur, Lipſienſes denuò ejus impetravêre confirmationem. Eodem gaudere privilegio in Rheno Coloniam, Moguntiam & Spiram: In Danubio Ratisbonam, Ingolſtadium & Paſſavium: Ad Moſellam Treverim; In Viſurgi Bremam: In Albi Magdeburgum & Hamburgum, teſtatur *Limnæ. de J. P. l. 2. c. 9. n. 131. Magnif. Dn. Mev. ad Jus Lubecenſ. l. 3. tit. 6. art. 7. n. 10. jung. Freder. Mindan. de proceſſ. in Cam. extrab. l. 2. c. 15. n. 8.* Huic tamen ſeculo ſuperiore Anno 1550. non Stadenſes tantùm & Buxtehudenſes; ſed & Duces Lunæburgenſes ac Holſatiæ eo nomine dicam impegiſſe, prolixè legere eſt apud *Chytræ. Chr. Sax. l. 19. in pr. l. 20. in fin. & l. 23. ad annum 1579. & 1580.*

25. Ejusmodi jus ſiqua civitas ſive Privilegio Principis, ſive præſcriptione memoriam hominum ſuperante obtinuerit, ei vel ingratiis dominorum, ad quos merces pertinent, illas ad ſe vel ſuum portum ſeu forum reſtringendi datur facultas, ita ut prætvery navigantes etiam manu militari ad id queat compellere, *Beſold. d. l. Dn. Mev. ad Jus Lub. l. 3. l. 6. art. 7. n. 7. & ſeqq.* Proinde ad evitandam hanc mercium expoſitionem nautis ambages novasq; vias quærere, haud integrum eſt; ſiquidem non debet per indirectum licere, quod directò eſt prohibitum, *Beſold. loc. laudat. & in tr. de Majeſt. p. 204.* Neque id tantoperè ab æquitate videtur eſſe alienum, aut com-

mercio-

merciorum libertati derogare, cumprimis ſi in emendo vendendove juſtum non recuſetur pretium, nec nimium pro mercibus exigatur vectigal, *Loccen. d. tr. & c. n. 10.* Atque hoc etiam obligare peregrinos, vel exinde liquet, quod ad gubernationem alicujus populi moraliter neceſſarium ſit, ut qui ei vel ad tempus ſe admiſcet, quod fit intrando territorium, ii conformes ſe reddant ejus populi inſtitutis, verba ſunt ſummi *Grot. de J. B. & P. 2. c. 2. n. 5.*

26. Stapularum jus ex ordine nunc excipit jus Angariarum, ſive jus adſtringendi naves ad ſervitia publica exhibenda. Angariæ enim ſunt munera extra ordinem propter repentinum aliquem caſum causâ publicæ utilitatis ad aliquid provehendum indicta, vide *Cujac. ad rubr. C. de Curſ. publ. & in l. fin. C. de Fabricen. Dn. Franſk. var. reſol. l. 2. q. 15. n. 40.* Vel: ut dilucidiùs efferam: Sunt præſtationes navium, plauſtrorum, jumentorumq; ad arma, commeatum, exercitum, &c. transvehenda, tempore expeditionis ſeu aliâ aliquâ neceſſitate publicâ remoram non admittente, indictæ ab eo, qui jura Principis obtinet, Wann man in vorfallender gemeiner Noht mit Wagen / Pferden / Schiffen / und dergleichen frohnen muß. Belgæ vocant Volck-Preſſen. *Vid. 1 Reg. 5. v. 13. & c. l. 4. §. 1. ff. de Veteran. l. 10. & 11. C. de SS. Eccleſ. l. fin. C. de Fabric. l. pen. C. de Aquæd. Nov. 17. c. 9. & 10.* Suidas definit ἀγγαρείαν ἀνάγκην ἀκούσιον καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρεσίαν. Græcis namque angaria propriè eſt ſervitus coacta, & ab invito præſtita. Hinc verb. ἀγγαρεύω, quod Latinis eſt cogo, occurrit apud *Matth. c. 5. v. 41. c. 27. v. 32.* Inde angariari naves dicuntur *in d. 4. §. 1. ff. de Veteran.* Vulgo autem angariæ à parangariis ita diſcriminantur, quod angariæ ſubeantur expenſis ejus, qui illas exigit; parangariæ verò expediantur ſumptibus propriis, *Vultej. de Feud. l. 1. c. 5. n. 7.* Non pluſculum ab his videtur abludere Latinum ango, & German. Eng / Angſt / ängſten. 4. Jus Angariar.

27. Ex his ſic præmiſſis per ſe in propatulo eſt, tria potiſſimùm ad angarias eſſe neceſſaria, (1.) ut aliquid causâ publicæ neceſſitatis vel utilitatis ſit expediendum. (2.) Ut expeditio illa repentino motu & quaſi extra ordinem fiat, cùm ordinaria munera aliàs Principi vel Reipubl. deputata non ſufficiunt, *Dn. Franſk. d. q. 15. n. 44.* (3.) Ut imponatur ab eo, qui jura habet Principis ſeu Reipubl. *arg. l. 11. C. d. SS. Eccleſ.* Sunt enim de Regalibus *c un. quæ ſint. Reg. 2. F. 56.*

28. Accenſentur autem Angariæ muneribus realibus *l. ult. §. 21. ff. de muner. & hon. Sixtin. de Regal. 2. c. 13. num. 18. & ſeqq. Dn. Fransk. var. reſol 2. q. 15. n. 57.* Neque adverſatur *d. l. ult. §. 4. ff. eod* loquitur enim non de ipſa præſtatione angariarum, ſed de cura eas exigendi; illa autem munus eſt perſonale, *arg. l. 1. C. Quemadmodum Civil. mun. indic. Gothofr. ad l. 2. c. de præpoſ. ſacr. cubicul. dit. n.* Eodem etiam ſenſu accipienda eſt *l. 10. §. 2. ff. de Vacat. & excuſ. mun Sixt. d. l. n. 25.*

29. Regulariter verò omnes & ſinguli hujusmodi muneribus ſubjiciuntur, nullusq; penitus cujuslibet ordinis, aut privilegio dignitatis, aut intuitu Religionis, aut prærogativa perſonæ ab iis excuſatur, etiamſi ad Sacroſanctas Eccleſias naves poſſeſſionesve pertineant, *l. 10. & 11. C. de SS Eccleſ. l. 21. C. de curſ publ. l un. C. de naut. Tyber. l. 2. C. de quib. muner. vel præſt mun. nem. lic. ſe excuſ. l. 11. ff. de Vacat. & excuſ. mun.* Quoniam omnes in commune, ſi neceſſitas exigit, utilitatibus publicis convenit obedire, *l. 1. C. de navib. non excuſ.* ut quæ commodis privatis emolumentisq; longè ſunt anteferendæ, *l. 3. C. de primip. Nov. 39. c. 1.* Idq; præcipuè ſuo. ſtat tibicine, cùm expoſcuntur angariæ ad ſupremi Principis expeditionem, *per ll. modò allegatas*; ab aliis verò præter Imperatorem indictæ, tantùm abeſt, ut Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ, aliaq; loca pia iis ſint obnoxia, *Auth. Item nulla. C. de Epiſcop. & Cleric* ut & cæteros nonnullos eadem tum maneat immunitas; quos maximam partem recenſitos vide apud laudatum *Sixtin. d. l. n. 26.*

30. Quin imò non ſubditorum duntaxat, ſed etiam peregrinorum naves eadem coguntur agnoſcere obſequia, *arg. l. ult. §. 22. ff. de mun. & honor.* ſi modo congrua pro his non denegetur merces, *Loccen. de J. M. 1. c. 5. n. 5.* cauſa eſt utilitas publica, nullis ſubjecta legibus, *c. ſicut. de conſecrat. diſt. 1.* Cujus duriſſimo adigente telo multa licent, ac juſtiſſima cenſentur, quæ alioquin haud licent, *C. Diſcipulus de conſecr. diſt. 5.* Facit huc, quod peregrini alicubi verſantes, contrahentes & negotiantes tanquam ſubditi temporarii legibus quoque iſtius loci ſubjaceant, ob commoda & emolumenta, quæ inde percipiunt. Atque hanc conſvetudinem. jam olim in Germania viguiſſe, locupletiſſimus eſt teſtis *Lehnman. Chr. Spir. l. 4. c. 22.* Cæterùm quid ſi naves præſtando angarias ab hoſtibus capiantur, vel à pi-

ratis

ratis deſpolientur, num ab eo, cui angariæ exhibentur, damnum illud eſt reſarciendum? Stricto equidem jure ad id haud obligatus erit, cùm conductor de caſu fortuito, qualis eſt incurſus hoſtium, ac damnum à prædonibus illatum, regulariter non teneatur, §. 5. *Inſt. de Locat. l. 9. §. 4. l. 13. §. 3. l. 15. §. 2. ff. eod. Rittersh. ad l. 23. ff. de R. J. c. 9. pag. m. 126.* Verùm jure benigniori contrarium eſſe ſtatuendum, æquitati prorſum videtur conſentaneum, vid. *Autor Jur. Fecial. inter gent. p. 2. ſect. 5. q. 10.* ubi refert aliquando inter Anglos & Ducem Hetruriæ ſeu Florentiæ acriter hac de re fuiſſe diſputatum. Cùm enim navis Anglica juſſu Hetruſci exonerata in bellum mitteretur, inde remeans in itinere deperiit. *conf. Sixt. de Regal. 2. c. 13. n. 79. Locc. de tr. l. 1. c. 5. n. ult.*

31. Tantum de navium Angariis: Seqvuntur earundem Repreſſaliæ. Has nonnulli derivant à Gallico *reprendre*, id eſt, reſumere. Alii ab Italico *preſa*, quod capturam notat; Pars verò à Latino reprimere, quod hiſce alterius injuſtitia reprimatur, *jung.* Scheidenmelxer *in diſp. d. Repreſſ. apud Arumæ. Vol. 2. diſ. Acad. 8. th. 1. lit. A.* At nihil hæc ad Parmenonis ſuem: ideoq; illis diu multumq; velle immorari, & vel tantillum ingenii oſtentare, meo equidem animo nihil fuerit aliud, quàm laureolam in muſtaceo, ut proverbio dici aſſolet, quærere. A nomine itaque ad rem ipſam. 5. Jus Repreſſaliar.

32. Sunt autem Repreſſaliæ nihil aliud, quàm jus prehendendi detinendiq; perſonas vel res earum, eò quod illarum Magiſtratus aut concives injuſtè nos habuerint, & ad inſtantiam noſtram jus nobis vel apertè fuerit denegatum, vel protractione indebitâ ſuspenſum, Vid. *Dn. Limnæ. l. 4. c. 8. n. 305.* Atque hujusmodi jus non quidem naturâ introductum: Sed gentium moribus paſſim receptum eſſe, inter alia ex Homeri Iliad. probat *Grot. de J. B. & P. 3. c. 2. n. 1. 2. & 5.* ubi Neſtora memorat ob ereptos patri equos Elidenſium pecora cepiſſe. Pariter Ariſtodemus Tarquiniorum heres Romanorum naves pro bonis Tarquiniorum Cumis retinuiſſe fertur apud *Liv. l. 2. Conf. Gail. de pignorat. c. 2. n. 5. & ſeqq.*

33. Etſi verò nemo pro alterius ſive delicto ſive debito obligari, nedum prægravari debeat, *l. un. C. ut nullus ex Vican. pro alt. Vican. debit. tot. C. Ne fil. pro patr. l. 74. ff. de R. J. C. Non debet. d. R. J. in 6.* ac idcirco Repreſſaliæ regulariter videantur eſſe prohibitæ, *Nov.*

12. c. 1. c. un. de injur. in 6. R. A. zu Speyer. *de anno 1570.* §. Wann die Arreſta / Wie die Repreſſalien *generaliter* in Rechten verboten / *Goldaſt. Conſt. Imp. Tom. 3. Conſt. Theodorici 71. pag. 54.* Attamen cùm nec omne bellum ſit injuſtum ac illicitum, *c. 1. & 2. cauſ. 23. q. 2. Bronchorſt. miſcell. cent. 1. aſſert. 75.* Apprimitus ſi belligerandi ingruit neceſſitas, & de ſumma Reipubl. agitur offenſione, neque petitis, monitis, minaciisve ullus amplius relinquitur locus, cunctisq; quàm diligentiſſimè tentatis ſpes omnis ullius alicujus ſatisfactionis decollat: Repreſſaliæ autem ſint quædam quaſi belli ſpecies; hac propter ſicut non omne bellum, ita nec Repreſſaliæ per omnia ſunt improbandæ, maximè ſi inevitabilis quædam has extorqueat neceſſitas; ne cæteroqui laxa indulgeatur injuriis faciendis licentia.

34. Ceu autem quovis in bello duo requiruntur, videlicet tùm autoritas Principis, ſive ejus, qui ſupremam in Republ. obtinet poteſtatem, tum juſta belli indicendi gerendive cauſa; *Bodin. in Methodi. hiſt. c. 6. pag. m. 176. Grot. d. l. 1. c. 3. §. 4.* Sic & in Repreſſaliis adhæc duo ſemper animum oportet advertere, *Heig. p. 1. q. 12. n. 26.* ac proinde non niſi ab eo, cui pacis belliq; in Republ. jus eſt, eas concedi convenit, tantùm abeſt, ut proprio Marte privatoq; auſu exerceri queant, *Vid. reſcript. Frid. 2. apud Goldaſt. t. 2. Conſt. Imp. pag. 57.* Certè inter imperii Cives easdem uſurpari, neutiquam videtur indulgendum, cum his judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio ſit conſtituta, *l. 14. C. de Judæ.* Cur verò ad arma rixasve procedere patiatur Cæſar, quos jurisdictione ſuâ poteſt componere? *arg. l. 13. §. 3. ff. de uſufr. Clariſſ. Dn. Matth. Stephan. de Jurid. p. 2. c. 9. n. 10.* Cæterùm in Imperio noſtro Romano-Germanico præter Imperatorem non modò Electores: Verùm alios etiam territoriorum dominos harum conceſſionem ſibi arrogare, uſus & conſvetudo undiquaque utramque faciens paginam nos edocet, teſtibus *Freder. Mindan. de proceſſ. in Cam. extrab. l. 1. c. 49. n. 10. Rosbach. prax. civil. tit. 3. n. 70. Limnæ. d. c. 8. n. 313. & hic in addit. n. 324.*

35 Quandoquidem ergò Repreſſaliæ ceu ſpecies quædam violentæ executionis, ſunt odioſæ; præcauto uſus eſt Magiſtratui, ne facilè ac temerè repreſſalias navium aliarumve rerum concedat; ſed tum demum, quando juſta ſubeſt cauſa: qualis eſt (1.) cùm debitum, delictum, læſiove eſt evidens, liquida, & manifeſta. (2.) Cùm juris

& judi-

& judicum copia haberi nequit, atque in quæſtione maximi alicujus momenti ponderisvè judex cùm inferior tùm ſuperior requiſitus, omni amicabili compellatione inſuper habitâ, jus juſtitiamq; adminiſtrare manifeſtò recuſavit. Wann ſo wol hohe alß niedrige Obrigkeit dem klagenden Theil das Recht kündtlichen verſaget hat. (3.) Quando is, qui jus ſibi denegatum aſſeverat, ſuo Magiſtratui quà damnum quod fecit, quà denegationem juſtitiæ liquidò dedit probatam. (4) Cùm Magiſtratus ejus, qui læſus eſt, alterum Magiſtratum, de quo movetur querimonia, vel literis, vel legatione amicabiliter commonefecit de damno læſis reſarciendo. (5.) Quando Magiſtratus detrimentum paſſi adhibuit conſenſum populi, ſeu illius, qui populi vice perfungitur. *Scotan. Exam Jurid. ſub rubr. de Repreſ. Graphicè Dambuder. prax. rer. crim. c. 100. Freder. Mindan. de proceſ. in cam. extrab. l. 1. c. 49. per tot.* ubi n. 16. & illud requirit, ut reus tempore requiſitionis ſit ſolvendo. Dann wo nichts iſt/ da hat der Käyſer ſein Recht verlohren, *Conf.* Seidenmelßer *apud Arumæ. Vol. 2. diſc. Acad. 8. th. 4.*

36. Conceſſis ita ab illo, qui jus indulgendi habet, Repreſſaliis, regulariter eas in quoslibet exercere licitum eſt: niſi in ſpecie quidam excipiantur; quales ſunt (1.) Clerici & res illorum *c. un. de injur. & damn. in 6.* (2.) Legati eorumq; bona, *arg. l. ult. ff de legationib. Frideric. de Marſelaer de Legat. l. 2. c. 15.* (3.) Studioſi & ſcholares, *auth. babita. C. ne fil. pro patr. Beſold. de Studioſis c. 3. n. 14.* (4.) Negotiatores tempore nundinarum, *arg. l. un. & ibi Dd. C. de Nund.* Cùm autem extra territorium jus dicenti impunè non pareatur, *l. ult. ff. de Jurid.* ac fruſtrà idcircò leges ab eodem præſcribantur; Conſequens eſt, Imperii Romano-Germanici civem in Gallia, Hiſpania & Anglia duabus hiſce poſterioribus exceptionibus incaſſum ſeſe tueri; prout oportunè commonet *Limnæ. de J P. l. 4. cap. 8. num. 316.*

37. Intereſt quoque, ut res captæ magiſtratibus loci conſignatæ exhibeantur, inventariumq; ſuper iis ritè conſcribatur, ne aliàs fraudibus feneſtræ patefiant: Sed furto in illis committi metuendo anſa quaſi præſcindatur. *Heig. d. p. 1. q. 12. n. 62.* Sed quî conſuletur illi, qui occaſione Repreſſaliarum & damno & malo mactatus eſt, ſineq; ſuo facto rerum ſuarum jacturam incurrit? Dd. communiter in hanc

deſcendunt ſententiam, eum, qui cauſam dedit repreſſaliis, cujusvè culpâ quis detrimentum contraxit, obſtringi ad reſarcienda damna illi, qui damnum exinde perſentiſcit; *arg. l. 25. §. 4. ff. Locat.* Videtur enim damnum dare, cujus occaſione datum, *per jura vulg.* Imò ipſo naturali ac divino jure ad hoc teneri, perbenè tradit *Grot. d. l. c. 2. §. 5. vid. Mynſing. cent. 6. Obſ. 1. Heig. d. q. n. 64. & ſeqq.* Seidenmelger *apud Arumæ. d. Vol. & diſp. th. 8.*

Uſus Fluminum.

38. Hæc de proprietate, dominio & juribus Fluviorum: Sequitur nunc eorundem uſus, qui conſpcuus eſt potiſſimum (1.) in Navigatione. (2.) in Aquæductione. (3) in Ædificatione, (4) Piſcatione, & denique (5.) in Alluvione, ejusq; affinibus.

39. Uti & quando navigare primitus cœptum ſit, quivè navigandi artem omnium primi invenerint, non eſt, quod operosè hic indagem, neque inſtituti ratio id nunc admittit. Antiquitatis curioſus, cui volupe eſt, adeat *Polydor. Vergil. de Invent. rer. l. 3. c. 15.* Ubi variis variorum adductis opinionibus tandem ipſe illud Noæ tribuendum eſſe autumat. Sed hæc extra oleas. Navigationem igitur quod

1. Navigatio.

attinet, illa per flumen publicum, dummodò ſine injuria incommodove cujusquam fiat, *l. 24. pr. ff. de dam. infect. l. 2. §. 8. ff. Nequid in loc. publ.* cuivis è populo libera, licita & conceſſa eſt, *tot. tit. ff. ut in flum. publ. navig. lic. §. 5. Inſt. de R. D. l. 5. ff. eod. Hartman. Hartm. pract. obſ. tit. 46. Obſ. 3.* Quemadmodum enim nemo viâ publicâ uti prohibendus eſt; ita nec uſu navigationis fluminisq; publici ei interdici convenit, *l. un. §. 1. ff. ut in flum. publ. navig.*

40. Atque hæc navigandi libertas etiamnum durat, ut ut flumina publica navigabilia, aliaq; reddentia navigabilia, Regalibus hodiè adnumerentur, *c. un. quæ ſint Regal. 2. F. 56.* adeò, ut contra Principes aliosvè liberum navigandi uſum ſufflaminantes mandata ſine clauſula optimè decerni queant; quale aliquando in cauſa Civitatis Bremenſis adversùs perilluſtrem Comitem Oldenburgenſem decretum fuiſſe, refert *Sixtin. de Regal. 2. c. 3. n. 42.* Item in cauſa Staadt contra Hamburg. 1. Jul. Anno 1588. *Rutger. Ruland. de Commiſſar. p 3. l. 3. c. 12. n. 6.* Neque ſingulis ſolùm è populo, cujus fines flumen alluit; ſed & exteris, *Dn. Stypman. de J. Marit. p. 1. c. 3. n. 22. Magnific. Dn. Mev. ad Jus Lubec. l. 3. tit. 4. art. 6. n. 9.* per id patebit tranſitus inermis & innoxius, qui ſcilicet commodet tranſeuntibus,

neque damnum afferat territorii dominis; quando nec per terram hujuscemodi vetari poteſt tranſitus, *c. 3. cauſ. 23. q. 2. Grot. de J. B. & P. 2. c. 2.* §. *13. & c. 3.* §. *12.* in tantum, ut ſi poſtulatus denegetur, exinde naſcatur legitima belli inferendi cauſa. Exemplo eſt Moſes, cui ab Idumæo & Emoræo cùm innocuus non indulgeretur tranſitus, illos hacpropter juſtiſſimo invaſit bello, *Num. 20. & 21.* Unde rectè Batavi, cùm caſtris Bonnenſibus propinquarent, Herennio Gallo Bonnam obtinenti exponebant; ſi nemo obſiſteret, innoxium fore iter: ſin arma occurrant, ferro viam inventuros, *Tacit. 4. hiſt. c. 20.* Eſt namque ex ipſiſſimo juris Naturæ fonte deprompta regula: Quod mihi non nocet, & alteri prodeſt, facilè eſt concedendum, *arg. l. 9. ff. de Servit. Thomaſett. in Florib. LL. reg. 269.* Cui geminum illud Tullii *1. Offic. Quicquid ſine detrimento accommodari poteſt, id tribuatur cuique vel ignoto.* Sanè cùm liberrima jure Gentium ſint commercia, *l. 5. ff. de Juſt. & Jur. Grot. de mari lib. c. 1.* utique etiam id, ſine quo illa commodè exerceri nequeunt, liberum erit, *arg. l. 2. ff. de Juriſd.* Id quod penſi habentes priſci Romanorum variis quà præmiis quà immunitatibus naviculários ad navigandi allexêre induſtriam, ceu ad oculum liquet cuilibet vel per tranſennam contuenti *l. 1. ff. Quod cujusque univ. nom. l. 5.* §. *3. 4. & ſeqq. ff. de jur. immunit. l. 3. C. de Navicul. l. 5 ff. de mun & bon. l. un. C. d. lit. & itin. Cuſtod.*

41. Ut autem tranſitio per flumen publicum innoxia nulli de jure Gentium eſt deneganda; ita ex adverſo, ſi nocua ſit ac damnoſa, jure optimo poterit recuſari; veluti ſi naves contineant res ad hoſtem ejus, cujus flumen transmeant, deferendas, *arg. l. 1. & 2. C. Quæ res export. c. 6. 11. & 17. X. de Judæ & Saracen.* usque adeò, ut non prohiberi ſolùm transvectio harum queat; ſed belli quoque jure juſtè occupari, modò publicæ ad alios populos præceſſerint ſignificationes de hujusmodi rebus neutiquam advehendis, *Grot. d. J. B. & P. 3. c. 1.* §. *5.* Nam ex ſententia Amalaſvinthæ ad Juſtinian. *apud Procop. l. 1. d b. Goth.* in hoſtium ſunt partibus, qui ad bellum neceſſaria hoſti ſubminiſtrant. Diſtingvit tamen *Grot. d. l.* inter res, quæ deferuntur; quarum aliæ belli nullum habent uſum, uti quæ voluptatibus & deliciis inſerviunt, quod certè genus nulli ſubjacet querelæ: aliæ belli duntaxat tempore utilitatem adferunt, ut ſunt arma, &c. quæ ſi qui

 hoſti-

hoſtibus ſubmittunt, meritò in hoſtium deputantur numero: Aliæ ſunt, quæ quà militiæ, quà extra militiam utilitate ſeſe commendant, velut commeatus, pecunia, naves, & quæ navibus adſunt; quæ etiam, ſi illarum ſubvectio deditionem, quæ expectatur, ſit impeditura, intercipere integrum eſt. *jung. Grot. in annot. ad cit. C. §. 5. & l. 3. c. 17. n. 3. Anthor. juris fecial. inter gent. p. 2. ſect. 8. q. 7.* Cæterùm diſtinctiones illas plerumque belligerantes ſusq; deq; ferunt.

2. Aquæductio — 42. Alter fluviorum publicorum uſus conſpicitur in Aquæductione. Licèt autem haurire aquam cuilibet ſit integrum; ducere tamen ſeu derivare aquam, præſertim ex flumine publico, haud item conceſſum; ne illiusmodi derivationibus aut exareſcat flumen, aut curſus ejus immutetur, aut depreſſior vel altior fiat aqua, atque ita publicæ officiatur utilitati, itervè navigationi, utpotè quæ Reipubl. quàm maximè conducibilis & neceſſaria, *l. 1. pr. & §. 20 ff. de exercit. act.* reddatur deterius, aliterve damnum inde conflетur circumcolentibus, *Weſenbec. in par. ff. Nequid. in flumin. publ. num. 1. & 2. Add. Gregor. Tholoſ. de Rep. l. 9. c. 1. n. 17.* Cùmq; hodiè flumen publicum navigabile, aliudve navigabile faciens ſit de reſervatis Principum, *2. F. 56.* non niſi eorundem conceſſu aquam exinde derivare licitum erit.

3. Ædificatio præſertim molendin. — 43. Sicuti verò ex flumine pubblico aquam quis deducere prohibetur: ita nec abſque indultu Principis in eo molendinum, vel aliud quid extuere conceſſum eſt; *arg. l. 1. pr. & §. 12. & tot. t. ff. h t. l. 2. §. 10. ff. Nequid. in loc. publ. Bocer. de Regal. c. 2. n. 169. Arniſæ. de jur. Majeſt. 3. c. 3. n. 5. Dn. Stypman. de J. Marit. p. 2. c. 5. n. 126. & ſeqq.* Iſthoc etenim ædificio particula Reipubl. occuparetur, id quod ſine inſigni ejus injuria ac detrimento confieri nequit, *Carol. von Hagen Inſt. Jurispr. publ. l. 3. c. 4.* Proinde Principis impetrandus eſt conſenſus, qui diſquiret, utrum illud in damnum Reipubl. redundet, & absque uſus publici intertrimento, ac cujusquam injurià tale quid exædificari poſſit? *arg. l. 2. §. 10. & 16 ff Nequid in loc. publ. Schneidwin. ad §. 2. n. 12. Inſt. de R. D. Harprecht. ad d. §. 2. n. 11. Inſt. eod. Hering. de Molendin. q. 16. n. 32.*

44. Quamvis autem in flumine publico facultatem erigendi molam à Principe quis conſecutus ſit; absque ſpeciali tamen conceſſione & privilegio alium in uſum, puta molam oleariam in molendinum

dinum frumentarium commutare ipſi haud licet, eò quòd ejusmodi conceſſiones & privilegia ſtrictiſſimam recipiant interpretationem, nec ultà id, quod indultum, protendi debeant, *Clariſ. Dn. Carpzov. Doctor meus oppidò honorandus Jurispr. for. p. 2 cap. 4. def. 10.* Sed numquid invito illo, qui habet molendinum in inferiori parte fluminis publici, alius in ſuperiore ejusdem fluminis parte molendinum poteſt exædificare? Diſtg. Dd. utrum quis licitè, puta conceſſu ſuperioris molendinum habeat exſtructum, an verò illicitè? priori caſu ſtatuunt, repugnante illo, qui licitè ædificavit, alterum ædificare non poſſe; in tantum, ut alter adverſarium poſſit in opere ædificando impedire, ne ſibi commodum naturale, i. e. lucrum aquæ publicæ auferatur: poſteriori verò caſu, quò minùs aliud erigatur, nihil impedire autumant, vid. *Alexand. l. 6. conſ. 203 n. 1. & ſeqq. Schurff. cent. 2. Conſil. 45. n. 4. & cent. 3. conſ 38. n. 2. Sixtin. de Regal. 2. c. 3. n. 77. Schneidw. ad §. 1. Inſt. de interd n. 55. Bocer. de Regal. c. 2. n. 167. Hering. de molendin q. 15. n. 57.* Præterquam ſi alter ad alterius æmulationem duntaxat & injuriam ædificet, & non principaliter, ut ſibi commodet, *l 3. ff. de oper. publ. Gail. l. 2. Obſ. 69. num. 27. Weſenb. p 1. conſ 34. n. 21.* Facere enim quis non debet, quod ſibi non prodeſt, & alteri nocet, *Dec. ad l. 55. ff. de R. J* Cùm malitiis hominum non ſit indulgendum, *l. 38 ff. de R. V.* Quanquam in dubio quilibet præſumatur ædificare primariò ad ſuam ſuorumq; utilitatem, *arg. l. 51. ff pro ſocio. Gail. d. Obſ. 69. n. 30.*

45. Verùm in fluminibus privatis, cùm hîc quiſque ſuo utatur jure, *arg l. 21. C. mand. l. 1. §. 1. & 10. ff. h. l. 24. §. 12. ff. de damn. inf.* cuivis, cujus ſunt propria, molam architectandi copia eſt, etiam ſine autoritate ejus, ad quem pertinet jurisdictio, *l. 3. ff. de operib. public. Gædda. Conſ. Marp. 38. n. 9. Vol. 4.* quoniam quilibet in proprio vel in præjudicium alterius poteſt ædificare, ſi modò hoc faciat, ſibi ut proſit, & non principaliter, uti alteri inurat damnum, *d. l. 24. § fin. ff. de damn. inf l. 26. ff. eod. l. 1. §. 12. l. 21. ff. de aqua & aquæ pluv. Dn. Carpzov. p. 2 conſt. 4. d. 10 & 11.* Unde porrò infertur, quod ſi quis ſuprà hominum memoriam habuit molendinum in ſuperiore parte fluminis privati, vicinus ipſius in inferiore parte fluminis, per fundum ſuum quoque delabentis, novum fabricare molendinum nullo jure prohibeatur; modò hujusmodi jus non eſſet præſcriptum,

ut quis ſolus & poſteri ejus molendinum ibi habeant, antegreſsâ nimirum præſcribere volentis prohibitione & patientiâ adverſarii ſubſecutâ, *Scurff. d. cent. 2. conſ. 45. Weſenbec. d. conſ. 34. n. 21. 26. & conſ. 67. per tot. Schneidw. ad d. §. 1. Inſt. de R. D. num. 13. & ſeqq. Rauchbar. q. 7. n. 8. Scheplitz. ad Klammer. tit. 37. n. 3. Idem ad conſvetud. Brandeb. p. 4. tit. 23.* Tempus autem tali præſcriptioni neceſſarium â facta ſemel prohibitione eſt triginta annor. *Excellentiſ. Dn. Habn. in Obſ ad Weſenb. h. n. 1.*

46. Porrò ex principio, quemlibet in ſuo poſſe facere, quod ſibi prodeſt, etiamſi per conſequentiam hoc ipſo alteri quoque noceatur, *d. l. 24. §. fin. l. 26. ff. de damn. inf.* efficitur & hoc, poſſe eum, qui in ſuperiore privati fluminis parte molam habet, vel ingratiis ejus, cui mola eſt in inferiore parte ejusdem fluminis, tempore ſiccitatis æſtivæ aquam colligere & quaſi reſtagnare, quò ſuum molendinum molat fortiùs, Daß er das Waſſer zu dürren Zeiten könne ſchützen und auffhalten / quia non animo vicino nocendi, ſed ſuum molendinum fortiùs agitandi id videtur facere, *lege ſubantea laudatâ 1. §. 12. & l. 21. ff. de aqua & aquæ pluv.* Plurimum tamen hîc conſvetudinem loci & pacta ſibi tribuere, haud abs re monet *Mejer in Colleg. Argent. ff. Neqvid in flum. publ n. 7.*

47. Occaſione molendinorum lubet & illud hîc diſcutere; An ſi Titius Nobilis ejusq; majores per tempus immemoriale alicubì habuerunt molam, ad quam Caij Nobilis ruſtici jugiter ſuprà hominum memoriam iverunt ad molendum, an ſcilicet tanto temporis ſpatio Titio jus quæſitum ſit, ut ſi fortè Cajus in proprio flumine molam conſtruat, homines prædicti Caij hactenus ad ſuum molendinum ire ſolitos jure queat cogere, ut in futurum quoque ibidem molant? Ad quod non ſine cauſa reſpondetur Negativè. Quia ad molendum ire liberæ cujusvis voluntati ac arbitrio eſt relictum, atque res eſt meræ facultatis, æquè ac emere & vendere *Hering. de Molend. q. 11. n. 5. & 66.* Res autem meræ facultatis, i. e. quæ citra ullam obligationem & conventionem jure Naturæ vel Gentium cujuscunque arbitrio libero permiſſæ ſunt, *Gæbauſ. p. 3. peric. 3. q. Acad 16.* præſcribi nequeunt, *arg. l. 2. ff. de via publ. & itin. ref. Cujac. in par. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* neque per eas in futurum naſcitur obligatio, *Gothofr. in not. ad Schneidw. §. 1. n. 5. lit. B. inſt. de Interd. Gœddæ. conſ. Marp. 40. n. 96. Vol. 4.*

48. Eâ-

48. Eàdem ratione nec ſubditi, qui per centum & plures annos uſi ſunt molendino domini ſui, ſunt cogendi, uti impoſterum illo etiam utantur; niſi eos alibi molituros dominus fortè prohibuiſſet, ipſiq; per 30. annos vel ultra huic acquieviſſent prohibitioni, jureq; ſervitutis ad domini ſui molendinum iviſſent, Welches man Zwang-Mühlen nennet / darhin die Leute gezwungen / und ſchuldig ſeyn zu mahlen: Tunc enim domino jus eſt quæſitum, eapropter ad molendum in ſua mola utique rectè illos poteſt compellere, *Mynſ. dec. 13. reſp. 2. n. 6. & 8. Gœddæ. conſ. Marp. 17. n. 254. Vol. 4. conſ. 38. n. 32. & 105. Vol. eod. Hering. de mol. d. q. 11. n. 108. ubi n. ſeqq. complures etiam alias ſubnectit limitationes.* Siquidem hoc in caſu in actibus meræ facultatis per prohibitionem antegreſſam & patientiam ſubſecutam quis in quaſi poſſeſſione conſtituitur, & ſic præſcriptioni locus eſt, *Heig. p. 1. q. 15. n. 26.* Quodſi verò dominus, cui cogendi jus præſcriptione nondum quæſitum eſt, præcipiat ruſticis ſuis, ne alibi quàm in ſuo molendino molant, tertius, in cujus præjudicium iſthæc ſit prohibitio, contradicere, eamq; impedire poteſt, apprimè ſi ad tertii æmulationem ſuo velificetur emolumento; cùm jura hominum malitiis non indulgeant, *d. l. 38. ff. de R. V. Boër deciſ. 125. n. 4. & ſeq. Rauchbar. p. 1. q. 27. n. 11. & ſeqq. Dn. Carpzov. j. f. p. 2. c. 4. def. 11.*

49. Sed de molendinis ſatis ſuperq;. Sequitur jam quartus Fluminum uſus, nempè Piſcatio. Tametſi verò jus piſcandi in fluminibus publicis cuivis commune & liberum ſit non ſolùm jure Naturæ, 4. Piſcatio.
C. Jus Naturale 7. diſt. 1. Divino *Gen. 1. v. 26. & 28.* Sed etiam Gentium & Civili, *§. 2. 3. 12. Inſt. de R. D. l. 5. §. 1. ff. eod.* uſque adeò, ut quis injuriarum adversùs prohibentem queat experiri, *l. 13. §. 7. ff. de injur.* Attamen plurimis jam ſeculis in totum id exolevit. Cùm aut Magiſtratus loci, per quem flumen decurrit; aut accolæ fluminis publici illud hodiè ſibi vendicent, Schultz *Synopſ. Inſt. Imp. ad tit. de R. D. lit. B.* Principes enim, ad quorum Regalia piſcationum reditus nunc pertinent, *2. F. 56.* Jus piſcandi civitatibus conſueverunt concedere, aut civitates, aliàs illud quandoque contra Principes præſcribere. Unde haud immeritò fatur *Cujac. l. 4. O. 2. Mores ubique jus Gentium paſſim ſubegerunt, adeò ut ne in flumine quidem publico piſcari liceat.*

50. Quanquam autem piſcandi libertas per Principem tolli poſſe non

ſe non videatur, *arg. §. 11. Inſt. de J. N. G. & C.* Cùm lex Civilis nihil poſſit præcipere, quod Naturæ jus prohibet, aut prohibere, quod præcipit: poteſt tamen libertatem naturalem circumſcribere ac limitare, imò & vetare, quod naturaliter licebat, *l. 6. ff. de Juſt. & jur. Grot. de B. & P. 2. c. 2. §. 5. & c. 8. §. 5.* Neq; enim ſequitur: Quicquid jure Naturæ eſt permiſſum, illud per legem humanam interdici non poteſt; cùm permulta ſint jure naturæ licita, quæ inſpecto Reipubl. bono queunt prohiberi, quin imò ipsâ lege Civili ſunt limitata, *vetita* & prohibita. Juri Naturæ conveniens eſt, uti liberi æqualiter ſuccedant parentibus, *arg. l. 7. pr. ff. de bon. damnat. Vultej. conſ. Marp. 29. n. 92. Vol. 1.* Etenim jungat æqualis gratia, quos junxit æqualis natura, *Moller. ex Ambroſ. l 3. Semeſtr. c. 22. in fin.* Cùm æqualitas ſit amicitiæ parens & altrix, contra inæqualitas diſcordiarum mater, *Ariſt. 8. Eth. c. 8. & 5 Polit. c. 1.* Illud tamen neceſſitatem parentibus neutiquam imponit, quin liberos portionibus inæquabilibus poſſint heredes inſtituere, *Nov. 22. cap. fin.* aut prædilecto filio aliquid præ cæteris donare, *Nov. 92. c. 1.* Quid, quod jure divino primogenitus duplicem nanciſcebatur portionem, *Deut. 21. v. 17.* & filiæ non niſi deficientibus maſculis hereditatem quibant cernere? *Num. 27. v. 8.* Et ut maximus natu præ cæteris rerum potiatur, morem omnium eſſe populorum, teſtis eſt *Juſtin. l. 16. & 34.*

51. Quod igitur dicitur, jus Naturæ eſſe immutabile, ſemper firmum & divinâ quâdam providentiâ conſtitutum *d. §. 11. de J. N. G. & C.* id veritati duntaxat in iis litat: quæ jus Naturale vetat, aut præcipit; nullatenus verò in illis, quæ jure naturæ licent ſolummodò & in eodem nec præcepta nec vetita In horum autem cenſu eſt quoque jus piſcandi: illud omnium indiſcriminatim eſſe commune, jus Naturæ ſimpliciter neque mandat neque prohibet; ſed indifferens relinquit; certis proinde ex cauſis poteſt fieri privatum, deq; communium rerum numero eximi. Nec his officit *Geneſ. cap. 1. v. 26. & 28.* Verùm namque illud in mari & fluminibus nullius adhuc dominio ſubjectis; neque enim dominium iſtud in animalia ita eſt perpetuum ac invariabile, nec cunctis promiſcuè ſic à DEO tributum, ut ſingulorum illud fieri nefas ſit. Sequeretur enim, nec terræ portionem ſingulis acquiri potuiſſe, utpotè in quam non minùs quàm in animantia dominatus in *d. c.* omnibus indiſtinctè à DEO Opt. Max. fuit conceſſus.

ceſſus. Quid, quod ſi generaliter dominium illud eſſet intelligendum, cuncta animalia noſtra manſveta; ut quæ citra controverſiam in uſum omnium omninò hominum ab initio creata ſunt, univerſis ac ſingulis etiamnum eſſent communia, & abs quovis in illa dominium quàm juſtiſſimè aſſereretur? Id quod abſurdum profectò, ac juri Gentium adverſum, utpotè quo diſcretæ ſunt gentes, regna condita, dominia diſtincta, agriſq; termini poſiti, *d.l 5. ff. de Juſt. & Jur.* Illud ergò ſibi vult imprimis dominatus iſte, ut univerſæ beſtiæ, utut ferociſſimæ ſint, hominem tamen attonitæ expaveſcant, reformident, ac ceu dominum ſuum revereantur. Quemadmodum id cuivis cucurbitas non lippienti planum liquidumq; eſt *ex Gen. c. 9. v. 2. & 3. conſ. Joh. Brent. in libell. de adminiſt. piè Rep. art. 4. per tot. Spekhahn. cent. 1. q. 97. n. 31. Dn. Carpz. pract. crim. p. 2. q. 84. n. 8.*

52. Poſſunt itaque Principes promiſcuæ piſcandi libertati quosdam quaſi frænos repagulaq; jure Superioritatis, quo gaudent, injicere, certumq; capiendi modum præſcribere ſubditis. At verò optimus Princeps ſalvo ſuo jure & piſcationum proventu fructuq;, certo tolerabiliq; pro piſcatu exſoluto vectigali ſubditis haud invitus permittet partem aliquam piſcium, quos novit non ſui duntaxat, ſed reliquorum quoque hominum gratiâ providam rerum naturam comparaviſſe; ad animum revocans cedro dignum illud Senecæ, *l. 7. cap. 3. Sub optimo Rege omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio.* Ita Potentiſſima Sveciæ Regina, Domina & Princeps noſtra Clementiſſima ex piſcationibus publicis ſuas percipit decimas, alioſve reditus ex locatione, vel conceſſione piſcationum in mari aut fluminibus regni publicis, ſuoſq; peculiares habet piſcandi tractus, qui Alvei Regii ſive Venæ Regiæ appellantur, *Loccen. de J. Mar. l. 1. c. 9. n. 2.*

53. Nihil verò obſtat, quin per prohibitionem antegreſſam quaſi poſſeſſionem juris piſcandi in diverticulo fluminis publici ſibi privatus quiſquam acquirere poſſit, & ita ſi ſolus pluribus annis inibi piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibere; modò ante legitimum præſcriptionis tempus completum in quaſi poſſesſione iſtius juris eſſe non deſierit, *l. 7. ff. de diverſ. tempor. præſcr. Angel. ad §. 1. Inſt. de R. D. n. 17. Weſenb. in par. ff. de ſervit. n. 5. p. 17. Duaren. ad tit. ff. de uſucap. c. 3. Colleg. Argent. ff. de R. D. th. 21. Hartman. Hartm. pract. Obſ. tit. 24. Obſ. 3. num. 1. & 2. Broncborſt. Enantioph. cent 4.*

D *aſſert. 3.*

uſ. 3. Neque huic contradicit *l. 45. in fin. ff. de uſucap.* Quia illic Papiniano expreſſus eſt ſermo de eo, qui compluribus quidem annis in fluminis publici diverticulo ſolus piſcandi Jus exercuit; at poſtea illo uti deſiit, & ita quaſi poſſesſionem ejus amiſit. Caſum etenim ædificii in littore extructi; ſed pòſt funditùs diruti, aut pro derelicto habiti, comparat JCtus cum jure piſcandi. Quemadmodum ergo primus caſus ſermocinatur de ædificii domino, qui deſiit poſſidere: ſic alter quoque caſus de piſcandi jure in iiſdem accipiendus eſt terminis. Nam ubi eadem eſt juris deciſio, ibi idem etiam caſus in ſuis terminis meritò præſupponitur, *Joh. Wurmſer. Nucl. jur. contr. l. 2. tit. 1. controverſ. 2. conſ. Cujac. ad d. l 45. ff de uſucap. & ibid. Gothofr. lit. M.*

54. In privato autem flumine ipſe tantummodò dominus piſcandi jus ſibi vendicat, nec alii citra furti crimen id uſurpare fas eſt, utpotè quod nihil differt à cæteris locis privatis, *l. 1. §. 4. & 10. ff. h.* neque ad publicum Reipubl. uſum dominiumve pertinet, *l. 13. in fin. l. 14. ff. de injur.* Ideòq; in illo quiſque tale jus habet vi dominii. Ni fortè id ab alio fuerit præſcriptum, non quidem ſimpliciter, ſed cum domini prohibitione, atque ita domino idem jus ſit ademptum, *Weſenb. in par. ff. de A. D. n. 7. Schurff. cent. 1. conſ. 86.* vel tale quid à domino in ſpecie & ſingulatim alii conceſſum, cùm quilibet rerum ſuarum ſit moderator & arbiter, *l. 21. C. mandat.*

55. Quodſi verò flumen privatum duobus ratione adjacentium prædiorum commune ſit, alter illorum etiam ingratiis alterius inibi piſcari evalet. Quamvis enim in re communi nemo dominorum invito altero jure quicquam factitate queat, indeq; manifeſtum ſit prohibendi jus eſſe. Cùm in re communi potiorem cauſam eſſe prohibentis conſtet, *l. 28. ff. communi divid. C. in re communi de R. J. in 6.* Illud tamen eo ſolùm caſu verum eſt, quando ſocius re communi ad eum uti diſcupit uſum, cui haud deſtinata eſt, prout eleganter tradit *Gail de pignorat. c. 20. n. 9. & 10. & fuſiùs illuſtrat Dn. Philipp.* Richter *in expoſit. tit. C. Qui teſtam. facer. ad l. 1. pag. 9. & 10.* Sin aliter convenerit, & nominatim expreſſum inter ſocios, ut alteri alterius ingratiis piſcari integrum ſit atque liberum, utique rata eſt conventio; quandoquidem contractus legem ex conventione indipiſcuntur, *l. 1. §. 6. ff. depoſiti.*

56. Li-

56. Licèt autem piſces in ſtagnis hinc inde diſcurrentes relicti videantur in libertate naturali, ac ſolos piſces, quos in piſcinas conjecerimus à nobis poſſideri exiſtimet Jct. Nerva *in l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amit. poſſ.* Attamen quia piſces non minùs ſtagnis privatis quàm piſcinâ, *A. Gell. Noct. Att. 2. c. 20.* incluſi ſunt, neque aliter hæc quàm ſecundùm majus & minus diſtingvuntur, quodq; altera laxior & amplior, altera anguſtior ſit cuſtodia; idcircò noſtro ſeculo rectiùs contrariam prævaluiſſe opinionem, ut piſces ſtagnis noſtris incluſi quà poſſideri à nobis, quà in dominio noſtro eſſe intelligantur, commodùm monet *Grot. de J. B. & P. 2. c. 8. § 2. & Dn. Hahn ad Weſenb. ff. de A. R. n. 7.* Cùm enim lacus meus ſit, meritò & fructus proventusq; meus erit. Unde rectiſſimè inquit Ulpian. *l. 13. §. fin. ff. de injur.* In lacu, qui mei dominii eſt, utique piſcari aliquem prohibere poſſum. Neque repugnat, quod piſces non cenſeantur eſſe fundi, *l. 15. ff. de Act. empt.* Sufficit namque illos in ſtagno meo divagari, adeoq; in meo patrimonio tanquam fructus exiſtere, atque ita animo domini à me civiliter poſſideri.

57. Quandoquidem ergò in fluminibus alterius privatis nemini piſcari licet, & ſi quis contra facit, furti ſe adſtringit; haud abs re nunc quæritur, quodnam illi, qui ex alienis aquis invito domino piſces ſuffurantur, luere & ſuſtinere debeant ſupplicium? Dd. duos præcipuè hìc diſtingvunt caſus. (1.) Si quis ex alienis aquis incluſis, ut piſcinis, lacubus, vivariis, &c. Auß Teichen / Weihern / Hölern und andern beſchloſſenen Waſſern invitis dominis piſces capiunt, de illis nullum eſt dubium, quin perindè ac alii fures pro qualitate delicti vel relegatione, vel fuſtigatione, vel etiam laqueo veniant puniendi; *Conſt. crim. Carol. V. art. 169.* Welcher auß Weihern oder Behaltnis Fiſche ſtihlet / iſt auch einem Diebſtall gleich zu ſtraffen. Hujusmodi enim piſces à nobis poſſidentur, in noſtroq; ſunt patrimonio, *l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amit. poſſ.* Utique igitur furtum eorum, quoties invito capiuntur domino, committitur, *§. 1. Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſc. l. 1. §. 1. ff. de furt.* (2.) Si qui ex alienis rivis, fluentis & aquis non incluſis ſurripiunt piſces, iſti ordinariam furti pœnam haud incurrunt; ſed arbitrariè ex conſilio jurisprudentium plectendi ſunt, *d. art. 169.* So aber einer auß einem flieſſenden ungefangenen Waſſer Fiſche finge/das einen andern zuſtünde/ der iſt auch

ſeinem

an ſeinem Leibe oder Gut nach Gelegenheit oder Geſtalt des fiſchens / der Perſon und Sachen nach Raht der Rechts verſtändigen zu ſtraffen. Ratio eſt, quia hujusmodi piſces in liberis hiſce aquis ludentes in naturali degunt libertate, neque à nobis poſſidentur, *d. l. 3. §. 14. ff. de acq. vel amit. poß.* atque ita illorum furtum propriè non perpetratur, *l. 1. §. 15. ff. Si quis ex teſtam. liber. Clariß. Dn. Matth. Steph. ad d. conſt. crim. art. 169. Berlich. p. 4. concl. 51. n. 9. & ſeqq. Dn. Carpz. pract. crim. p. 2. q. 84. n. 77. & ſeqq.*

58. De piſcibus in piſcina haud inconvenienter hic quæri poteſt; Sintne mobilibus an immobilibus accenſendi? Dd. diſtingvunt; Aut enim cuſtodiæ duntaxat causâ ibi adſunt, & tum habentur pro mobilibus, *arg. l. 15. ff. de act. empt ubi Gothofr. lit. A.* aut non cuſtodiæ ſolùm ſed perpetui quoque uſus gratiâ, & uti illic propagent genus ſuum, piſcinæ ſunt immiſſi; atque tum in numero ſunt immobilium, *Excellentiß. Dn. Habn. in Obſ. ad Weſenb. parat. ff. de R. D. circa fin. Bocer. cl. 4. diſp. 1. coroll. 2.*

5. Alluvio, ejusq; jura affinia.

59. Piſcationem ex ordine nunc excipit alluvio; Quæ vox accipitur potiſſimùm tripliciter. (1.) Notat actum alluvionis, ſeu ipſam accretionem. (2) Agrum adjectum ſeu incrementum, Germ. ein Zuwachs. (3.) Ipſum jus alluvionis, *Hilliger. in Donell. Enucleat. l. 4. c. 27. lib. B.* Differt à circumluvione, quia hæc eſt jus prædii, cùm ſc. flumen mutato priore alveo alterius prædium circumfluit, atque ex eo quaſi inſulam factitat, ita tamen, ut dominium non mutet, *l. 30. §. 2. ff. d. A. R. D. l. 1. §. 10. ff. h. l. 1. C. de Alluv. Rittersh. ad §. 20. Inſt. de R. D.* Eſt autem alluvio, definiente Juſtiniano *in §. 20. Inſt. d. t.* incrementum latens, cùm quid ita paulatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur.

60. Alluvio naturaliter in dubio cenſetur eſſe populi: Nam quæ primitus à populo ſunt occupata, neque poſtmodùm diſtributa, ea putanda ſunt propria eſſe populi; quoniam prius populi terras occuparunt, quàm in privatos agri deſcriberentur, *Grot. de J. B. & P. 2. c. 8. §. 9. & 11.* Hinc præclarè, ut omnia, *Cic. 1. off.* *Sunt autem privata nulla naturâ: ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoriâ, ut qui bello potiti ſunt; aut lege, pactione, conditione, ſorte.* Cæterùm populus hoc alluvionis jus concedere aſſolet proxima prædia poſſidentibus, & conceſſiſſe ſine dubio

præſu-

præſumitur, ſi agri illi non alium finem ex ea parte quàm naturalem, i. e. flumen ipſum habeant, *Grot. d. l.* §. 72. hoc eſt, ſi agri illi ſint arcifinii.

61. Tres enim ſunt agrorum veluti qualitates: (1.) Eſt ager diviſus & aſſignatus, Florentino *in l. 16. ff. de A. R. D.* etiam limitatus dictus. (2.) Aſſignatus per univerſitatem. (3.) Arcifinius. Limitatus eſt, qui captus ab hoſtibus à populo vel Principe partim civibus pauperibus, partim militibus in præmia dabatur atque aſſignabatur, partim publico adjudicabatur, certis conſtitutis & manufactis finibus & limitibus, ut quantum aſſignatum, quantum in publico relictum eſſet, conſtaret: *vid. l. 11. ff. de Evict. l. 15. §. 2. ff. de R. V. l. 16. ff. de A. R. D. Donell. 4. comm. c. 27. Bacchov. ad Treutl. Vol. 2. diſp. 20. th. 5. lit. E.* Aſſignatus per univerſitatem eſt, qui certâ menſurâ per extremitates eſt comprehenſus, puta, per Centurias, jugera, &c. cujusque modus univerſus civitati aſſignatus eſt, *jung. Dn. Stypman. de J. Mar. p. 2. c. 5. n. 498. & ſeq.* Arcifinius, qui fines habet arcendis hoſtibus idoneos & naturales, certisq; linearum menſuris non continetur; ſed finitur fluminibus, arboribus, montibus aliisq; terminis. Dicitur aliàs occupatorius, vel quod vacuus ſit, vel quod bello occupetur.

62. Huic agro arcifinio ſi quid per alluvionem adjicit flumen, id ei acquiritur, cujus ager in feudum eſt conceſſus, *arg. d. §. 20. Inſt. d. R. D. l. 7. §. 1. ff. de A. R. D. l. 1. & 3. C. de Alluv.* Hoc quippè caſu alluvio non jure peculiari quidem Principis, ſed ex agrorum qualitate feudo comprehenſa cenſetur, præſertim ſi dominus in inveſtitura nihil ſibi hac in re ſpecialiter reſervavit, *arg. 1. F. 4. v. 5. Garſ. de expenſ. c. 22. n. 40. Rittershuſ. partit. feudal. l. 2. c. 2. n. 6. & c. 6. n. 42.* Cùm etiam ad fructuarium alluvionis uſus fructus pertineat, *l. 9. §. 4. ff. de uſufr.* Feudum autem ſuo modo quidam eſt uſusfructus. *2. F. 23.* Quodſi verò populus vel Princeps vaſallo agrorum univerſitatem, i. e. certi territorii agros, ſalvo eo quod privatorum eſt, cum definito in flumen imperio in feudi beneficium conceſſerit; hoc in caſu certum & in propatulo eſt, ei idem jus, eandemq; poteſtatem in flumen competere, quæ competiit populo aut principi. Si cui autem flumen ipſum in feudum datum eſt, is inſulas ſive limo aggeſtas, ſive factas ex alveo, quem flumen circumluit, ſuas eſſe, rectiſſimè asſerit. Sin neutrum horum in inveſtitura ſit expreſſum, utique tunc

mos regionis, aut præſcriptio intervenientibus, quæ intervenire oportet, utramque facient paginam, egregiè ut omnia *Grot. de J. B. & P. 2. c. 8. n. 15. conf. Heig. p. 2. q. ult. Gryphiand. de Inſul. c. 26. per tot. & Dd. ad §. Siquis de manſo. 5. 1. F. 4.*

63. Alluvionis autem jus locum non habet (1.) in agris limitatis, *d. l. 6. ff. de A. R. D.* Sed id, quod alluvione adjicitur, confit occupantis, *l. 1. §. 6. ff. de flum. Gryphiand. de inſul. c. 27. n. 1. & ſeqq.* (2.) Haud alluvioni locus eſt in agris aggeribus definitis. Etenim cùm flumen ſuum habeat terminum, agros confines diminuere nequit, (3.) Alluvionis jus non agnoſcitur recipiturvè regulariter in lacubus & ſtagnis, quæ licèt interdum creſcant, interdum exareſcant, *l. 24. §. ult. ff. de aqua & aq. pluv. l. 69. ff. de contrab. empt.* ſuos tamen retinent terminos, *l. 12. ff. de A. R. D. Dn. Stypman. de J. Mar. p. 2. c. 6. n. 73. & ſeqq.* Alveum enim non mutant, neque tales fluctus & motus, quales ſunt fluminum, propriè iis conveniunt, *Donell. l. 4. c. 27. ubi Hillig. lit. E.* Niſi ſint lacus majores, *Gryphiand. laudato tr. c. 18. n. 109. & ſeqq.*

64. Effectus alluvionis palmarii ſunt hi. (1.) Adauget uſumfructum; quando enim per alluvionem pars fundo accedit, ea quà dominium directum, fit proprietarii, *l. 24. ff. de R. V.* quà utile verò uſufructuarii, *l. 9. §. 4. ff. de uſufr. Dn. Carpzov. J. pr. for. p. 3. conſt. 13. def. 17.* (2.) Loco impetu fluminis occupato; & intra tempus ad amittendam ſervitutem ſufficiens alluvione factâ reſtituto: ſervitus quoque in priſtinum ſtatum reſtituitur, *l. 14. ff. Quemadmod. ſervit. amit* (3.) Alluvione creſcit pignus: Nam ſi fundus hypothecæ datus poſtea alluvione major factus eſt, totus obligatur, *l. 18. §. 1. ff. de pignor. act. l. 16. in pr. ff. de pignorib.* (4) Creſcit alluvione hereditas; ſi quid enim amnis fundo poſt litem conteſtatam illuit, venit in judicium familiæ herciſcundæ, *l. 16. §. 3. ff. famil. erciſ.* (5.) Augetur per alluvionem legatum, *l. 24. §. 2. ff. de Legat. 1. l. 16. ff. de legat. 3.* (6.) Pleniorem efficit dotem; veluti ſi fundo in dotem dato quid acceſſerit, *l. 4. ff. de jur. dot.* (7) Quod alluvione adjectum eſt, venit in condictionem indebiti, *l. 15. pr. ff. de condict. indeb.* (8.) Si poſt emptionem fundo aliquid accreverit per alluvionem, ad emptoris commodum pertinet, *§. 3. Inſt. de empt. & vend. l. 7. pr. ff. d. peric. & commod. Rei Vend.* Cæterùm augebiturne tributum alluvione?

ne? reſpondent Imp. Theod. & Valent. *in l. 3. C. de Alluv.* ea quæ alluvione per diverſa flumina poſſeſſionibus acquiruntur, neque ſeparatim cenſeri, neque illorum nomine functiones exigi.

65. Differunt alluvio & impetus ſeu vis fluminis, cùm quoad modum acquirendi, tùm quoad jus. Enimverò alluvio eſt incrementum agri latens, quo inſenſibiliter terræ noſtræ quid accedit ita lentè, ut quorum prius fuerit, ignoretur. At vis ſeu impetus fluminis quod adjicit, cùm de ſubitò fiat, eſt apparens, apertum & manifeſtum. Dein quod per alluvionem adjectum eſt, acquiritur; quod verò per vim flumen detrahit, non acquiritur; ſed priſtini manet domini, de cujus detractum eſt fundo: niſi longiore forſan tempore tam diu pars detracta vicini fundo hæſerit, ut arbores, quas ſecũ traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo enim tempore dominium mutatur atque pars detracta vicini fundo videtur acquiſita, §. *20. & 21. Inſt. de R. D. l. 7. §. 1. & 2. ff. A. R. D. l. 9. §. 1. & 2. ff. de damn. inf.* Idq; in tantum veritati litat, ut arbor, quæ jam cum vicini terra coaluit, â domino arboris vindicari directò nequeat, *d. l. 9. §. 2. ff. de damn. inf. Bacchov. ad Treutl. Vol. 2. diſp. 20. th. 5. lit. D. Adde eund. ad §. 21. Inſt. de R. D.*

66. Quodſi flumen abundâſſet, & res varias variorum in aliena detuliſſet ædificia, dominis licitum eſt eas auferre, ſi modò damni infecti repromittant, i. e. caveant, ſe citra damnum res ſuas eſſe ſublaturos, *l. 9. §. 1. ff. de damn. infect. l. 4. §. fin. ff. de reb. cred.* Verùm ſi ratis in agrum meum vi fluminis delata ſit, non aliter tibi poteſtas eam tollendi datur, quàm ſi de præterito quoque detrimento mihi caviſſes, *d. l. 9. §. 3. de damn. inf. l. 8. ff. de incend. ruin.* Quoniam in rate non religata præſumitur negligentia domini, ut qui aliter navim religare potuiſſet; cujus culpæ præſumptio in caſu ſuperiore ceſſat, *Gothofr. ad d. l. 9. §. 3. lit. Y.*

67. Quemadmodum verò plurimum diſcriminis eſt inter alluvionem & vim fluminis: ita & alia ſanè ratio eſt inundationis, ut ſi cujus totus ager inundatus fuerit: Neque enim inundatio, velut alluvio, regulariter acquirit; cùm fundum domino non auferat, §. *24. Inſt. de R. D. l. 7. §. 6. ff. de A. R.* nequidem ſi naturalem duntaxat rationẽ ſequaris. Nam ut maximè inundatio de qualitate aliquid immutet, ſubſtantiam tamen agri non mutat; quia manet ſolida pars fundi inferior, Inundatio.

ferior,

ſerior, licèt ſumma in arenam diſſolvatur. Sin graviſſima & perpetua ſit inundatio, mutata re contingens, neque alia adſint ſigna retinendi dominii animum indicantia, ager derelictui habitus præſumitur, præclarè ut omnia *Grot. l. 2. c. 8. §. 10. Vid. l. 3. §. 17. ff. de acquir. vel amit poſſ. juncta l. 30. §. 3. ff. eod.* Quod autem *in l. 23. ff. Quib. mod. uſufr. amit.* agri inundati proprietas amitti dicitur, illud non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid intelligendum, puta ratione effectus, ac uſus emolumentiq; amiſſi, quod veluti durante inundatione uſufructuarius uſumfructum nequit percipere: ita dominus fundi proprietate uti prohibeatur, *Bacchov. ad Treutl. Vol. 2. diſp. 20. th 5. lit. G.*

Alveus 68. Fluminis continens eſt alveus, ſicut ſtomachus vini, ceu loqui amat *Gryphiand. de inſul. c. 12. n. 17.* Denotat a. hoc loci foſſam, per quam flumen delabitur; Dd. appellitant ventrem & cubile ſeu lectum fluminis, eò quod flumen ibi cubat, *Schneidw. ad §. 2. Inſt. de R. D. n. 1. Germ.* Des Fluſſes Bauch oder Bett.

69. Naturaliter alveus exſiccatus derelictusve eſt ejus, cujus eſt flumen, i. e. populi, aut, qui τὸ κύριον habet, cuiq; populus dedit, non ſolùm quia alveus flumine tegitur; verùm etiam, quod hæc ſimul occupata, neque ab initio in privatum tranſiiſſe dominium præſumantur, *Grot. d. l. & c. §. 9.* Cæterùm juxta Jus Civile Juſtinianeum, ſi naturali alveo in univerſum derelicto flumen ad aliam partem fluere cœperit: vetus alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident, pro modo latitudinis cujusque agri, quæ propè ripam eſt, *§. 23. Inſt. de R. D. Dn. Carpzov. Juruspr. forenſ. p. 3. Conſt. 31. def. 14.* ubi præjudiciis id conſtabilit. Novus autem ejus juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen, i. e. publicus; ſiquidem impoſſibile eſt, ut alveus fluminis publici non ſit publicus, *l. 1. §. 7. ff. h.* Quodſi poſtmodum ad priorem alveum reverſum fuerit flumen, rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui propè ripam ejus prædia poſſident, *d. §. 23. Inſt. de R. D. ubi Vinn. in Commentar. l. 7. §. 5. ff. de A. R. D.* Quodſi verò novus alveus totum alicujus agrum occupaverit, & ad priorem alveum redierit flumen, is, cujus ager fuerat, ſtricto equidem jure, at non benigno, nihil in eodem alveo habere poteſt, *d. l. 7. §. 5. verſ. cujus tamen.* Sint limitati ſint agri, occupantis alveus fiet, & deſinet eſſe publicus. *l. 1. §. 7. ff. h. Donel. 4. c. 28.*

70. Hæc

70. Hæc ita obtinent de Jure Civili Juſtinianeo: Hodiè verò ſicut ipſum flumen navigabile, & ex quo aliud navigabile redditur, ad Regalia pertinet; ita illius quoque alveus, quippè qui ejusdem cenſetur eſſe juris, cujus eſt flumen, *l. 1. §. 7. ff. h. t. Gryphiand. de inſul. c. 11. n. 43. & ſeqq.* Idq; in cauſa Balthaſaris von Flodorff contra Häupprechten von Gröge in ſupremo Imperii tribunali comprobatum memorat *Sixtin. de Regal. 2 c 3. n. 23. 24.*

71 Alveo cohæret inſula: Accipitur autem inſula bifariam. (1.) *Impropriè* pro ædificio, quod non cohæret alteri vicino contiguis parietibus; ſed ab aliis ædificiis ſejunctum eſt, ita ut circum illud undiquaque poſſimus ire; hujusmodi ædificium ad ſimilitudinem terræ, quam aqua circumluit, inſula nominatur, *l. 3. §. 2. ff. de Offic. præf. Vigil. l. 5. pr. ff in quib. cauſ. pign. vel hypoth. l. 11. ff. de per. & comm. rei vend.* (2.) *Propriè* pro terra in mari vel flumine enata, & aquis undique circumdata. Germ. Ein Werder/ ut Fincken Werder/ Alten Werder / Neuen Werder in Albi apud Hamburgenſes. Aliis dicitur etiam Eiland. Nonnullis quoque ein Inſul/ ut apud Pomeranos die Inſul Rügen / Uſedom/ Wollin / quas hodiè unà cum tota Pomerania Citeriore ſeu Occidentali Regia Majeſtas Regnumq; Sveciæ habet atque poſſidet pleno jure in perpetuum & immediatum feudum ab Imperio Romano recognoſcendum, vigore *Inſtrum. pacis Cæſareo Suec. art. 10.* Populares mei vocant Sand / veluti dat Krut-Sand/ Aßler-Sand / &c. Inſula.

72. Propriè autem naſcitur inſula ex terra per flumen elevata, aut etiam ex ligno per flumen convecto; rarenter autem ob profunditatem & æſtum in mari conſit. Quodſi fortè fortunâ accidat, ut in mari, intellige, externo & decumano illo oceano extimas terræ partium oras amplectente, *Merul. de Marib. c. 2.* naſcatur inſula, illa fit occupantis; nullius enim eſſe creditur, *§. 22. Inſt. de R. D.* In mari autem interno ſeu particulari, ut puta Caſpio, Adriatico, Balthico, aliisq: maribus internis ex vaſto oceano per freta non uno loco terrarum penitiora ingredientibus, *Merul. d. l. c. 7.* ſi inſula exſurgit, eam vendicant ſibi Reges & Reſp. in illam maris partem dominium ſibi aſſerentes. In talia enim maria cùm Reges, Principes & Reſpubl. quatenus proximos portus & littora circumjacentia in ſuis ditionibus habent, imperium ſibi tribuant, utique etiam inſulas in iis natas rectè

ſibi arrogabunt. At de illis hic non eſt diſſerendi locus, quippè qui duntaxat de inſulis in flumine natis tractare conſtitui.

73. Quot autem modis fiat inſula, traditur *in l. 30. §. 2. ff. de A. R. D.* ubi inſulam in flumine tribus potiſſimùm modis fieri affirmat Pomponius. (1.) Cùm agrum, qui alvei non fuit, amnis circumfluit; (2.) Cùm locum, qui alvei eſſet, ſiccum relinquit, & circumfluere cœpit: (3.) Cùm paulatim colluendo locum eminentem ſuprà alveum fecit, & eum alluendo auxit. Quibus alius addi poteſt ex *l. pen §. 2. ff. eod.* ut quando inſula non ipſi alveo fluminis cohæret; ſed virgultis, aut aliâ quâlibet materiâ ita ſuſtinetur in flumine, ut ſolum ejus non tangat. *Conf. Vinn. ad §. 22. Inſt. d. R. D.*

74. Naturaliter inſula in flumine ſuborta ejus eſt, cujus eſt flumen; ſi privati juris, inſula quoque erit privatorum; ſin patrimonii publici, inſula eſt etiam publica, i. e. aut populi, aut illius, qui populum repræſentat, *Grot. de J. B. 2. c. 8. §. 9.* ubi in Hollandia & Regionibus finitimis ſemper conſtitiſſe prodit, inſulas, quæ verè inſulæ eſſent, eſſe in patrimonio publico, ac ſæpiuſculè ita judicatum ſubnectit, *jung. Vinn. ad d §. 22. Inſt. de R. D.* Jure Juſtinianeo inſula in medio ſeu centro fluminis publici prognata communis eſt utrinque proxima prædia poſſidentium ſecundùm latitudinem cujusque fundi, quæ propè ripam eſt, *§. 22. Inſt. de R. D.* Si alteri proximior ſit parti, acquiritur iis tantùm, qui ab ea parte propè ripam prædia poſſident, *d. §. 22. & l. 7. §. 3. ff. de A. R. D.* Quodſi flumen ſe diviſerit, ac deinde fuerit unitum, fundi incluſi manent priorum dominorum, *d. §. 22. Inſt. & l. 7. §. 4. ff. eod.* Inter illos verò, qui ſecundùm unam ripam, & non in altera ripæ parte prædia habent, inſula in flumine nata non pro indiviſo communis fit, ſed regionibus quoque diviſis: quantum inſulæ enim ante cujusque eorum ripam eſt, tantum veluti lineâ in directum per inſulam transductâ, quisque eorum in ea habebit certis regionibus *l. 29. ff. de A. R. D.* Cæterùm ſi inſula ſolo non cohæreat; ſed fluitet, & virgultis vel aliâ levi materiâ ſuſtentetur in flumine, atque ita moveatur, illa erit propemodùm publica; quaſi fluitans & innatans ipſi flumini, *l. pen. §. 2. ff. de A. R. D.*

75. Verùm enimverò priſci hujus juris ambages circa inſularum acquiſitionem moribus noſtris everſæ atque abolitæ videntur; quia inſulæ in flumine publico genitæ hodiè ſunt de Reſervatis Principum, ac-

ac proinde non ad privatos; ſed Principes territoriorumq́; dominos pertinent, *Gryphiand. de inſul. c. 11. per tot.* Et ita in ſuprà memorata cauſa appellationis von Flodorff contra Gröge in ſummo Imperii dicaſterio, quod eſt Spiræ Nemetum, judicatum perhibet *Rutger. Ruland' de Commiſſar. p. 3. l. 2. c. 12. in pr.* Inſulas Rheni ex antiquiſſima Palatinatus conſvetudine Electorem Palatinum ſibi vendicare exclusis adjacentium terrarum dominis, ſcribit *Heig. p. 2. q. ult. n. 38.* & poſt hunc *Limnæ in addit. ad l. 3. c. 9 n. 84.*

76. Deſtituuntur tamen ſuâ nec dum utilitate vigoreq́; jura civilia Romana eo in caſu, quando inſula naſcitur in flumine duorum Principum territoria interluente: Exempli causâ: Si in Albi, ubi Stormariam & Ducatum Bremenſem, patriam meam dulciſſimam interfluit; inſula exſurgeret, illa ſecundùm jus Romanum vel Sereniſſimæ Majeſtati Svecicæ, vel Illuſtriſſimis Holſatiæ ducibus, vel utrique communiter acquireretur; prout unius territorio aut propinquior eſſet, aut ab eo remotior, *juxta* §. *22. Inſt. de R. D. l. 7.* §. *3. ff. eod.* Atque ex hoc reor fundamento inſulas Das Kraut-Sand / und Aſſer-Sand jam olim in Albi è regione Kedingenſium ortas, ac etiamnum exiſtentes jure optimo ſibi ſoli vendicârunt ArchiEpiſcopi Bremenſes, eò quod horum territorio propiores ſint, quàm Ducum Holſatiæ. De inſulis in Viſurgi naſcituris pactis inter Oldenburgicos & Bremenſes Anno 1576. initis convenit hiſce verbis; Ob neue Inſuln und Sande in der Weſer ſich aufwerffen würden / die ſollen des jenigen ſeyn / deſſen Land ſie zu nächſt berühren. *Gryphiand. de Inſul. c. 17. n. 112.*

76. Flumina continentur ripis. Definitur enim ripa id, quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens: Seu: quod pleniſſimum flumen continet, *l. 1.* §. *5. l. 3.* §. *1. ff. h.* Eſtq́; propriè fluminis, ſicut littus maris, ceu clareſcit *ex* §. *1. 2. 3. 4. & 5. Inſt. de R. D.* nec non ex illo Cæſaris *de bell. Gall. l. 6. p. m. 126. Erat inter Labienum atque hoſtem difficili tranſitu flumen ripisq́ præruptis* (2.) Differt à littore, quod hujus proprietas ſit nullius §. *5. Inſt. d. t.* licèt occupando acquiri poſſit, *arg. l. 3. ff. Nequid in loc. publ.* Quemadmodum etiam hodiè à Regibus Principibusq́; ad maria accolentibus littora paſſim occupari cernimus; Riparum autem proprietas privatorum eſt, quorum prædiis hærent, §. *4. Inſt. de R. D. & ibi Ba-* Ripæ.

 chov.

thor. in Comment. Uſus verò earum publicus eſt jure Gentium, ſicut ipſius fluminis. Itaque naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt, ſicut per ipſum flumen navigare, *d.* §. 4. *Inſt. de* R. D. *l.* 5. *ff eod.* Neque adverſatur, neminem ingratiis meis re meâ uti poſſe; Etenim ripæ debent hanc ſervitutem flumini; utpotè naturâ ipſis impoſitam, fluminisq; uſus ſine ripis alioqui haud conſtaret, vel certè incommodior foret, *Ritterſhuſ. ad* § 2. 3. & 4. *Inſt. d. t. Donel. l.* 4. *c.* 3. *Vinn. ad* §. 4 *Inſt. eod.*

78. Cùm igitur riparum proprietas privatorum ſit, proinde qui in ripa fluminis ædificat, ædificium non facit ſuum; quoniam in alieno ædificat, *l.* 15. *ff. de A.* R. D. Opus nihilo ſeciùs in flumine publico ripave, ejus ripæ agrive, qui circa ripam eſt, tuendi muniendive causâ adversùs rapidi amnis impetum facere omninò licet atque integrum eſt, dummodò id navigationi non ſit impedimento, ſic tamen, ut de damno infecto & futuro antè, quàm opus factum fuerit, vicinis & his, qui trans flumen poſſident, vel caveatur vel ſatisdetur in annos decem viri boni arbitratu, *tot. tit. ff. de rip. muniend. l. un.* §. 6. & 7. *ff. Nequid in flum. publ. l.* 1. C. *de Alluv.*

Ripatica. 79. De ripis exſolvuntur ripatica: Quanquam enim riparum uſus jure Gentium ſit publicus; iſtiusmodi tamen uſus hodiè nonnihil eſt reſtrictus limitatusq;, Siquidem qui navibus ad ripam commorantur conſiſtuntq;, aut de una ripa in aliam tranſeunt, certam quandam, ut loqvuntur, gabellam pendere territorii dominis ſunt obſtricti; quæ commoda, emolumenta, proventusq; ex ripis communiter appellantur ripatica, Germ. Fähr-Geld / fiſciq; Regalibus accenſentur, 2. F. 56. *Add. Dn. Stypman. de Jur. Marit. c.* 5. *n.* 375. & *ſeqq. Sixtin. de Regalib. l.* 2. *c.* 5. *n.* 8. & *ſeqq.*

Naufragorum bona huc non pertinent. 88. Perperam autem huc referuntur compendia naufragiorum, quando nempè ripatica habentes horum ſub obtentu prætextuve etiam naufragorum bona ſibi vendicare haud verentur, conſvetudine prorſum barbarâ, ſummèq; deteſtandâ. Ecquid enim juris habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa ſectetur compendium? *L.* 1. C. *de Naufrag.* nunquid afflictio addenda eſt afflicto, aut calamitas calamitoſo? Næ longè aliud intendit, glorioſisſimæ recordationis Imperator Carolus V. quando piſſimo inductus zelo poſt Imp. Frideri-

Fridericum *in Auth. Navigia C. de furt.* depravatiſſimas haſce omnes omnium locorum conſvetudines laudabiliter abolevit, *Conſt. crim. art. 218.* Indè non injuriâ etiam à Camera Imperiali in cauſis hiſce miſerabilibus mandata ſine clauſula decernuntur; qualia aliquando decreta fuiſſe in cauſa Conſulum Civitatis Hamburgenſis contra Duces Holſatiæ, & in cauſa Lübeck contra Oldenburg; item Bremen contra Oldenburg/ haud ſubleſtæ fidei teſtes ſunt *Andr. Gail. l. 1. Obſ. 18 n. 6. & Rutger Ruland. de Commiſſ. part. 3. l. 3 c. 13. n. 7.* Nullo itaque jure adverſus Fridericum Comitem Stadenſem olim diſputatum ab Archi-Epiſcopo Bremenſi, eum videlicet ſervili ventre fuiſſe natum, quod mater ipſius facto in Albi naufragio, cùm ventrem gereret, in Archi-Epiſcopi veniſſet poteſtatem, *Kirchner. de Rep. Diſp. 17. coroll. 7.*

81. Quantum verò emolumenti lucrivè exinde in fiſcum quondam redundârit, haud obſcurè innuit Rex Daniæ Chriſtianus, quando lege de naufragorum bonis fiſco inferendis abrogatâ, annua centum aureorum millia ſibi periiſſe conquerebatur, *Hug. Grot. de Jur. B. & P in annot. ad §. 1. l. 2. c. 7.* Solent autem ſubinde diverſas inter Reſpubl. ſpecialia iniri pacta, quidnam naufragorum eveniente caſu utrinque obſervare ſit neceſſum. Quemadmodum inter alia videre eſt ex *tractat. pacis & mut commerc. inter Regem Angliæ Henricum VII. & Philippum Archi Ducem Auſtriæ Anno 1495. Londini promulgatâ, cap. 24.* In pactis pacis inter Magnum Sveciæ & Waldemarum Daniæ Reges anno 1343. de naufragio conventum eſt hunc in modum: *In aliquo regnorum noſtrorum ſeu dominiis paſſi naufragia res amiſſas liberè absque impeditione quorumlibet recolligant & recuperent, quamdiu non pro derelicto habuerint res amiſſas, Dn. Loccen. de J. Mar. l. 1. c. 7. n. 10*

82. Neque verò qui levandæ navis causâ res aliquas projiciunt, hanc regulariter habent mentem, ut eas pro derelicto habeant, *l 8. ff. ad L. Rhod. de jact. Vinn. ad § fin. Inſt. de R. D. n. 1. & ſeqq* Sed quò magis cum ipſa navi maris periculum evadant, *§. ult. Inſt. de R. D. l. 9. §. 8. ff. de A R. D l. 21. § 2. ff de acquir. vel amit. poſſ.* Nam quamvis actus ille mixtus ſit ex invito & ſpontaneo; ac ita voluntarius

Conſultiſſ. Dn. Hahn Doctor meus ætatem devenerandus in obſ. ad par. Weſenb. ff. ad L. Rhod. n. 5. Quocirca nec quod naufragio expulſum eſt, nec merces, quæ jactæ ſunt, poſſunt uſucapi, *l. 21. §. 1. & 2. ff. de aquir. vel amitt. poſſ. l. 7. ff. pro derel.* & ſiquis illas fluctibus expulſas, vel etiam in ipſo mari nactus lucrandi animo abſtulerit, furtum perpetrare dicitur, *§. fin. Inſt. de R. D. l. 9. §. 8. de A. R. D.* Niſi forſitan derelinquentis animo eas quis jactaverit, quod ſciret eas perituras; tunc enim qui illas inventas aufert, ſuas facit, tantùm abeſt, ut furti teneatur, *l. 43. §. 11. ff. de furt.* ubi particula *cùm* non cauſam, ſed tempus & rei qualitatem denotat, ut ſcilicet tum demum credantur pro derelicto haberi res ejectæ, quando ejiciens novit eas perituras, *Arumæ. Exercitat. ad Inſt. 4. q. 22.* Nam vocula *cùm* non pro quia ſeu quoniam; ſed pro quando inibi uſurpanda venit. Nec eſt, quod regeratur, tunc Ulpianum non Conjunctivo, ſed Indicativo uti oportuiſſe, eò quòd cùm pro quoniam uſurpatum adſciſcat Conjunctivum: R. enim illud haud eſſe perpetuum: Sed non rarò *Cùm* pro quando etiàm tunc, ubi præſens indigitatur, Conjunctivum ſibi copulare, vid. *l. 79. §. 1. in fin. ff. de jur. dot.* Aliter hæc conciliat *Bachov. ad §. ult. Inſt. de R. D.* Siquis autem res naufragas ſeu ejectas auferret hoc animo, ut ſalvas faceret domino, furti neutiquam ſe alligat; ſicut nec ſi putans ſimpliciter jactatas, *d. l. 43. §. 11. circa fin. ff. de furt.*

Portus 83. Ripis conjuncti ſunt portus: Eſt verò portus alioquin ſtatio navium dictus, locus ubicunque naves tutò ſtare poſſunt, *l. 1. §. 13. ff. h. l. 15. ff. de publ. & vectigal.* Aliàs eſt concluſus locus, quo importantur merces & inde exportantur, *l 59. ff. de V. S. ubi Gœddæ. n. 4.* autumat, ejusmodi videri poſſe ædificia à cæteris plerumque ſeparata, quæ vulgò vocant Pack-Häuſer / quod nempè mercium quà reponendarum, quà exponendarum causâ ſint extructa, perq; hanc metaphoram Stationes navium portus appellitari.

85. Annumerantur portus à Friderico I. Juribus, ut nominant, baſilicis, *C. un. quæ ſint Regal. 2. F. 56.* tam quà portum ipſum, quàm quà vectigal, quod inde percipitur, *Arniſæ. de Jurib. Majeſt. l. 3. c. 5. Bocer. de Regalib. c. 3. n. 128.* Ceu enim ipſa flumina publica non ſunt privatorum, ſed Principum; ita & dominium, jurisdictionem curamq; circa portus ſive claudendos ſive reſerandos iidem ſibi tribuunt

ıuunt, *Borcholt. ad C. un. de Regal. num. 35. Gregor. Tholoſan. de Republ. 9. c. 1. n. 27.*

85. Vectigal ratione portûs fiſco exſolvi ſolitum appellatur aliàs portorium; *l. 203. pr. ff. de V. S. l. 3. C. de Vectigal. & commiß. In l. 17. §. fin. ff. de V. S.* vocitatur vectigal portus; quamvis & illud portorium nonnunquam nominitetur, quod pro tranſitu per pontem ſolvitur, *l. 16. §. 8. ff. Locat. ubi Gothofred. in not. lit. E.* Differt à portario, quod hoc in porta; illud verò in portu penditur, *Thyſius Rom. illuſtrat. tit. de Magiſtratib. Roman. l. 2. pag. edit. noviß. 264.*

86. Portuum alii naturales ſunt, alii artificiales. Naturales dicuntur, qui naturâ ita facti, uti recipiendis navibus per ſe ſint idonei atque accommodi. Artificiales, qui manu & arte elaborati ſunt, alioquin Cothones appellati: Cujusmodi apud Athenienſes fuit triplex Piræei portus, conſilio Themiſtoclis conſtitutus, mœnibusq; ita circumdatus, ut ipſam urbem dignitate æquipararet, utilitate ſuperaret; cùm antè Phalereo portu neque magno, neque bono uterentur; *Cornel. Nepos d. Vit. Excell. Græcor. Imperat. in Themiſtocl. pag. mih. 23.*

87. Deficiente verò portu naturali, ſatisve commodo, ita arte & induſtriâ exædificandum ſvadent Politici, uti mercibus onerandis pariter atque exonerandis ſubſerviat, tum ut expromptus ac ſecurus illuc adnavigantibus pateat acceſſus; utq; cuncti in anchoris inibi commorantes à tempeſtatibus, decumanisq; aquarum procellis extra diſcrimina incolumes conquieſcant, ne ſit

- - Statio maleſida carinis,
Neu ſæpè in portu fracta carina natet.

88. Providebit quoque Princeps, vel cui jus portus eſt, uti non tantùm excubiis diſpoſitis, ſed & propugnaculis portum ita muniat atque communiat, ut hoſtes aut piratæ quà ingreſſu quà egreſſu intercludantur, & ſiquid præterea navibus ſubindè metuendum, id o-

Conſultiſſ. Dn. Hahn Doctor meus ætatem devenerandus in obſ. ad par. Weſenb. ff. ad L. Rhod. n. 5. Quocirca nec quod naufragio expulſum eſt, nec merces, quæ jactæ ſunt, poſſunt uſucapi, *l. 21. §. 1. & 2. ff. de aquir. vel amitt. poſſ. l. 7. ff. pro derel.* & ſiquis illas fluctibus expulſas, vel etiam in ipſo mari nactus lucrandi animo abſtulerit, furtum perpetrare dicitur, §. *fin. Inſt. de R. D. l. 9.* §. *8. de A. R. D.* Niſi forſitan derelinquentis animo eas quis jactaverit, quod ſciret eas perituras; tunc enim qui illas inventas aufert, ſuas facit, tantùm abeſt, ut furti teneatur, *l. 43.* §. *11. ff. de furt.* ubi particula *cùm* non cauſam, ſed tempus & rei qualitatem denotat, ut ſcilicet tum demum credantur pro derelicto haberi res ejectæ, quando ejiciens novit eas perituras, *Arumæ. Exercitat. ad Inſt. 4. q. 22.* Nam vocula *cùm* non pro quia ſeu quoniam; ſed pro quando inibi uſurpanda venit. Nec eſt, quod regeratur, tunc Ulpianum non Conjunctivo, ſed Indicativo uti oportuiſſe, eò quòd cùm pro quoniam uſurpatum adſciſcat Conjunctivum: R. enim illud haud eſſe perpetuum: Sed non rarò *Cùm* pro quando etiam tunc, ubi præſens indigitatur, Conjunctivum ſibi copulare, vid. *l. 79. §. 1. in fin. ff. de jur. dot.* Aliter hæc conciliat *Bachov. ad* §. *ult. Inſt. de R. D.* Siquis autem res naufragas ſeu ejectas auferret hoc animo, ut ſalvas faceret domino, furti neutiquam ſe alligat; ſicut nec ſi putans ſimpliciter jactatas, *d. l. 43.* §. *11. circa fin. ff. de furt.*

Portus

83. Ripis conjuncti ſunt portus: Eſt verò portus alioquin ſtatio navium dictus, locus ubicunque naves tutò ſtare poſſunt, *l. 1.* §. *13. ff. h. l. 15. ff. de publ. & vectigal.* Aliàs eſt concluſus locus, quo importantur merces & inde exportantur, *l. 59. ff. de V. S. ubi Gœddæ. n. 4.* autumat, ejusmodi videri poſſe ædificia à cæteris plerumque ſeparata, quæ vulgò vocant Pack-Häuſer / quod nempè mercium quà reponendarum, quà exponendarum causâ ſint extructa, perq; hanc metaphoram Stationes navium portus appellitari.

85. Annumerantur portus â Friderico I. Juribus, ut nominant, baſilicis, C. *un. quæ ſint Regal. 2.* F. *56.* tam quà portum ipſum, quàm quà vectigal, quod inde percipitur, *Arniſæ. de Jurib. Majeſt. l. 3. c. 5. Bocer. de Regalib. c. 3. n. 128.* Ceu enim ipſa flumina publica non ſunt privatorum, ſed Principum; ita & dominium, juriſdictionem curamq; circa portus ſive claudendos ſive reſerandos iidem ſibi tribuunt

ꝟuunt, *Borcholt. ad C. un. de Regal. num. 35. Gregor. Tholoſan. de Republ. 9. c. 1. n. 27.*

85. Vectigal ratione portûs fiſco exſolvi ſolitum appellatur aliàs portorium; *l. 203. pr. ff. de V. S. l. 3. C. de Vectigal. & commiß. In l. 17. §. fin. ff. de V. S.* vocitatur vectigal portus; quamvis & illud portorium nonnunquam nominitetur, quod pro tranſitu per pontem ſolvitur, *l. 16. §. 8. ff. Locat. ubi Gotbofred. in not. lit. E.* Differt à portario, quod hoc in porta; illud verò in portu penditur, *Thyſius Rom. illuſtrat. tit. de Magiſtratib. Roman. l. 2. pag. edit. noviß. 264.*

86. Portuum alii naturales ſunt, alii artificiales. Naturales dicuntur, qui naturâ ita facti, uti recipiendis navibus per ſe ſint idonei atque accommodi. Artificiales, qui manu & arte elaborati ſunt, alioquin Cothones appellati: Cujusmodi apud Athenienſes fuit triplex Piræei portus, conſilio Themiſtoclis conſtitutus, mœnibusq; ita circumdatus, ut ipſam urbem dignitate æquipararet, utilitate ſuperaret; cùm antè Phalereo portu neque magno, neque bono uterentur; *Cornel. Nepos d. Vit. Excell. Græcor. Imperat. in Themiſtocl. pag. mih. 23.*

87. Deficiente verò portu naturali, ſatisve commodo, ita arte & induſtriâ exædificandum ſvadent Politici, uti mercibus onerandis pariter atque exonerandis ſubſerviat, tum ut expromptus ac ſecurus illuc adnavigantibus pateat acceſſus; utq; cuncti in anchoris inibi commorantes à tempeſtatibus, decumanisq; aquarum procellis extra diſcrimina incolumes conquieſcant, ne ſit

- - *Statio malefida carinis,*

Neu ſæpè in portu fracta carina natet.

88. Providebit quoque Princeps, vel cui jus portus eſt, uti non tantùm excubiis diſpoſitis, ſed & propugnaculis portum ita muniat atque communiat, ut hoſtes aut piratæ quà ingreſſu quà egreſſu intercludantur, & ſiquid præterea navibus ſubindè metuendum, id o-

phonſus exſcindi è vicinis montibus rupes, & infeſto profundoq; pelago ad occurſum irruentium objici accuravit; portum inſuper tam admirabili celeritate vaſtiſſimis lignis ferreiſq; catenis circumcludi, molem ipſam altiſſimo muro, propugnaculiſq; communiri, denique littora propè innumerabilibus inauditæ magnitudinis tormentis omniſq; generis tum telis, tum armis firmari, ut cùm mox Genuenſium claſſis adventaret, viſis cominùs hujuſmodi novis inſperatiſq; munimentis redeundi probato conſilio abitum maturaverit, *Santen. in ſpecul. bon. Princ. ſeu de vit. Alphonſ. tit. 43. n 9.* Ad portus autem ſive extructionem ſive inſtaurationem omnes territorii ſubditos certatim oportet operas conferre, neque ullus alicujus dignitatis privilegio excuſatur, *l. 7. C. de operib. publ.*

89 Quemadmodum verò innoxium per flumen publicum navigandi transfretandive jus cuivis eſt permiſſum: ita etiam innocuo portus introitu prohiberi nemo poteſt, *arg. §. 2. Inſt. de R. D.* Eapropter meritò probabatur Græcis querimonia Megarenſium adversùs Athenienſes, quod illi hos portubus ſuis arcerent contra jura communia, *Plutarch. in Pericle.* Mutuæ enim id debetur humanitati, interq; innocuas connumeratur utilitates, quæ utenti commodæ, concedenti haud moleſtæ ſunt, *l. 1. §. 11. ff. de aqua & aq pluv. arc. Author Anonymus duquiſit. pol. caſ. 30.* Idq; cumprimis tum obtinet, ſi quos impetuoſa tempeſtatum vis, ac durum illud dirumq; neceſſitatis telum in alienum ſeſe conferre portum adigit. Idcircò apud *Virgil. 1. Æneidos* non ſine cauſa Æneæ ſocii diu multumq; procelloſo jactati ſalo in has erumpunt voces:

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſylvis aptare trabes, & ſtringere remos.

90. Quin & tanta portûs cenſetur libertas eſſe, ut excuſationem commereri videantur, qui peregrino in portu navium hoſtilium continuæ inſiſtunt perſecutioni, apprimè ſi periculum ſit in mora, neque ea principaliter alterius territorium violandi animo ſuſcipiatur, *Dn. Loccen. de J. Mar. l. 1. c. 8. n. fin.* Cùm hoſtis ubique ſecundùm jus Gentium impeti queat, *Grot. de J. B. & P. 3. c. 4. §. 8.* Integrum tamen eſt domino, qui inibi cum imperio eſt, impedire, ſancireve, ut in alterius hoſtes ſua in ditione commorantes nihil per vim tentetur agaturve, niſi judicio priùs tentato; ubi namque judicia vigent, ibi regula-

regulariter ceſſat promiſcuum illud nocendi jus, quod aliàs inter hoſtes frequentatur, *Grot. loc. præd.* Verùm enimverò illud in caſu neceſſitatis, vis imminentis, perſecutionisq; continuæ, & quando mora affert periculum, haud adeò ſtrictè poteſt obſervari, præſertim ſi quis in continenti animo recuperandæ prædæ hoſtem inſequatur, & ejus veſtigia quaſi premat. Hodiè tamen, quod obiter noto, communi inter Europæos Gentium jure eſt receptum, ut naves aliæve res ab hoſtibus captæ fiant capientis, ſi eas per diem & noctem ſeu 24. horas ſive in ſuo ſive alterius territorio poſſederit, teſte *Grot. l. 3 c. 6. n. 3.*

91. Licèt autem quæ naves ex quolibet portu, excepto hoſtili, dimittuntur, nullam prorſus ſuſtinere debeant ſive concuſſionem, ſive damnum *l. un. C. de littor. & itin. cuſtod.* nihilominus naucleri ſignificare, in quam ituri ſint provinciam, præfectisq; portus ſciſcitantibus, quæ & qualis ſit navis, unde veniat, quid vehat, quorſumve tendat, reſpondere omninò ſunt obſtricti, *d. l. un. C. de litt. & itin. cuſt.* Imò pro more hodierno nautis incumbit ſuo à Magiſtratu exhibere literas commeatûs ſeu paſsûs maritimi einen See-Paß / ut & certificationem, ceu vocant, ſpecialem mercium omnium navibus impoſitarum, niſi nonnullarum Rerumpubl. pactionibus aliter ſit proviſum, ut ſcilicet certificatio ſufficiat generalis, veluti ſpecialiter diſertèq; illud cautum in pronuper, nempè anno 1645. factâ pacificatione inter duo arctoa Sveciæ & Daniæ regna, *art. 5. 6. & ſeqq. ubi art. 4.* inſimul & hoc transactum, utne naves Svecicæ per fretum Danicum ac mare Balthicum velificantes apud publicanos regni illius ullam ſufferre inquiſitionem viſitationemve neceſſe habeant.

92 De fluminibus varia à Prætore prodita ſunt interdicta, eaq; tùm prohibitoria, tùm reſtitutoria, *tot. tit. ff. de flum. tot. t. Nequid in flumine ripave ejus fiat, quò pejus navigetur; tot. t. Nequid in flumine publico fiat, quò aliter aqua fluat, atque uti priore æſtate fluxit, tot. t. ut in flumine publico navigare liceat.* Ut verò hodiernus fert ſtylus, Actiones ſeu remedia ratione fluminum competentia

abducere alioꝛſumve derivare moliatur, *l.1.C.de Aluv.* Optime namque rebus mortalium conſuluit natura, quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utq; originem, ita fines dedit, *Tacit. 1. Annal. cap. 79.* Quid, *quod fluminum derivationes vix unquam benè ſucceſſiſſe perpetuâ obſervatione notatum eſt; nec enim ſibi vim inferri natura patitur?* Verba ſunt Clariſs. Dn Forſtneri in pereruditis ad Tacitum notis ſuper verba modò ex Tacito in medium allata. Exemplo, ut antiquiora præteream, nobis ſunt Carolus M. qui in Danubio & Rheno, ac Carolus IV. qui in Muldavia & Danubio conjungendis oleum, quod dicitur, & operam perdidêre, *Schonborn. 4. pol. 9.* pariter operam luſit Julius Dux Brunſvicenſium & Luneburgenſium, cùm Ocaram fluvium ab urbe Brunſviga Herculeo quodam immenſoq; labore & ſumptu; ſed incaſsùm abducere aggrederetur: *Jacob Martini 2. pol. c. 20. pag. 697.* Interim quid Belgæ hiſce in conatibus identidem præſtiterint quàm feliciſſimè, non minùs lippis & tonſoribus exploratum, quàm ſub dio & in aprico eſt.

Atque hæc de Fluminibus illorumq; Juribus pro tempore & inſtituto, non amuſſitatâ induſtria; (qui enim id à me poſſet fieri?) ſed pingvi Minervâ leviq; penicillo velut in ſciagraphia Laconicè delineâſſe ſufficiat; Pluria enim nunc addere, neque lubet neque vacat. DEO vitam ſoſpitante, fortaſſis olim iſthæc latiùs explanandi ſeſe offeret occaſio. Interea Sacroſanctæ & Individuæ Trinitati ſit laus, honos & adorea ſempiterna!

Additamentum I.

NE pagellæ quædam vacarent, volupe fuit unum atque alterum ſubjungere Corollarium. I. Utrum molendina mobilibus, an immobilibus ſint adnumeranda? Ubi preprimis diſtinguenda veniunt molendina. Alia enim ſunt terreſtria ſive ſuprà terram ad ripas fluminum exædificata, Waſſer-Mühlen/ ſo dem Grunde/ und Boden anhangen. Atque hæc citra omnem dubii aleam habentur pro immobilibus, Berlich. part. 3. concluſ. pract. 30. n. 10. & ſeq. Alia ſunt Pnevmatica, quæ ventis circumaguntur, Wind-Mühlen. Alia etiam ſunt, quæ aquis ſupernatant inſtar navium, Schiff-Mühlen; qualia Coloniæ Agrippinæ, Bremæ, Magdeburgi, ac paſſim in Danubio, Rheno & Viſurgi conſpiciuntur. Duo hæc poſtrema Berlich. d. concl. n. 12. & 13. Dn. Carpzov. Jurispr. for. p. 3. conſt. 24. def. 8. & Dd. commun. habent pro mobilibus. Verùm enimverò rectiùs & illa connumerantur inter immobilia, per ea, quæ ſat prolixè more ſuo tradit Hering. de molend. q. 8. n. 16. & ſeqq. Cui non immeritò album adjicit calculum Dn. Hahn in obſervat. ad par. Weſenb. ff. de R. D, n. 4. ad verba niſi per interpretationem. Cùm ſub nomine immobilium non intelligantur ſolùm, quæ moveri haud poſſunt; ſed etiam quæ ad uſum perpetuum ſunt parata, l. 242. §. fin. ff. de V. S. l. 17. § 7. ff. de act. empt. Pnevmatica quoque, uti in confeſſo eſt, de loco in locum moveri nequeunt absque deſtructione. Neque, quod ad navalia ſpectat, officit l. 20. §. 4. ff. Quod vi aut clam. ubi navis dicitur res eſſe mobilis: quia à diverſis mala fit illatio: molas etenim navales in cer-

impoſita circumferuntur; illa namque ſine dubio accenſentur mobilibus, Dn. Reink. de Retr. conſangvinit. q. 3. n. 118. *Mirificâ autem ſeſe commendat utilitate hac controverſia præcipuè in jurib. Feudor. utpotè quibus res ſoli aut ſolo cohærentes, quæve inter immobilia computantur, duntaxat in Feudum propriè dari poſſunt*, 2. F. 1. §. ult. Latè Vultej. de feud. l. 1. c. 5. per tot. *Deinceps inſignem quoque uſum præbet in Jure Sax. quippè quo maritus poſt obitum uxoris lucrifacit cuncta bona mobilia, ſolâ geradâ ſeu utenſilibus exceptis*. Landrecht / l. 3. artic. 76. verſ. Und ſtirbet das Weib / der Mann behalt alle fahrende Haab. *Conſtitut.* Elect. 22. p. 3. §. Wo es ſich zutrüge.

II.

Molendina â metatis von den Einquartierungen *quandoque excuſari & immunia eſſe exiſtimo, per ea, quæ hac de re habet Solidiſſimus Juris Conſultus Dn. D. Johan-Otto Tabor in eleganti Commentario ad tit. C. de Metat. & Epidemeticis*, part. 3. ſect. 2. c. 3. art. 2. n. 7. & 8.

III.

Ex duobus Regis filiis, quorum alter ante adeptum â patre regnum, alter poſtea natus eſt, is, quem nativitas fecit priorem, in ſucceſſione debet eſſe potior.

IV.

Fœminam â Feudi ſucceſſione ſemel excluſam in perpetuum excluſam eſſe non arbitror.

V.

Crimen læſæ Majeſtatis propriè loqvendo tantùm â ſubditis committitur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE